CASPARIS FACII
POLITICA LIVIANA.

In quâ primò

Regnum Romanum

Quibus Pacis & Belli artibus partum, auctum & multiplicatum sit sub Regibus: Inde quibus Erroribus ac Vitiis amissum sit.

FLORVS

Prima ætas sub Regibus fuit prope CCL. per annos. Hæc erit ejus Infantia.



16 1[illegible].

LIPSIÆ, Impensis Henningi Grossii Iunior. Bibliop.

Cominæus. 2. de bello Neapolit.

VENETI Romani Imperij rationem exactiſſimè tenent, quomodo natum ſit, quomodo creverit, quid rectè, quid vitioſè in eo admiſſum, & non ſolùm oſſa T. Livij Patavij ſervant, verùm ejus monumenta etiam & ſcripta diligentiſſimè habeant cognita & meditata.

Illuſtriſsimo ac Celſiſsimo
Principi & Domino,
DOMINO

IOHANNI
ERNESTO

Iuniori,

DUCI SAXONIÆ, IULIÆ,
CLIVIÆ & MONTIUM,
LANDGRAVIO THURINGIÆ,
ac MARCHIONI MISNIÆ,
COMITI de MARCHA & RAVENSBURG,
DOMINO in RAVENSTEIN, &c.

S. M. L. DD.

ILluſtriſsime ac Celſiſſime Princeps, Domine Clementiſſime, Cùm Ariſtoteles Politicam ſcribit,

non videtur velle Rempub. aliquam fingere, qualem finxerunt multi, sed præcepta Pol. 4. 1. sua voluit Politiis jam à se observatis accommodare ita, ut quâ in parte rectè conceptæ essent & constitutæ, eâ diutissimè (si quid rerum humanarum diu esse potest,) conservarentur, sin in aliquibus minùs benè essent formatæ ac dispositæ, demonstravit, quo pacto ornatiores ac comptiores evaderent, & ex omni sua parte summi boni fruitionem consequerentur.

Itaq; non solùm optimam Rempub. per se considerare voluit,

voluit, ſed eam etiam ac talē, quæ in rerum natura eſſe ac conſiſtere poſſit. Iam verò quia omnes iſtæ Reſpub. dudum deſierunt, & nos in noſtro potiſſimùm Imperio Romano-germanico non unius atque alterius populi, ſed generis humani facta diſcimus, ac ſatis habemus, ſi Romanā Rempub. intuemur, ſi quæ Vita, qui Mores fuerint, per quos Viros, quibusq́; artibus domì militiæq́; partum & auctum ſit imperium conſideramus, ſi quæ in uſum noſtrum profutura ſint obſervamus, dubium ſanè nullum eſt, quin

præceptis Aristotelico modo adhibitis, veram, non fictam Rempub. describere adhuc possimus; Erroribus etiam, quibus antè afflicta ac conculcata interdū fuerit, excerptis, sine omni difficultate futuris ita medeamur, ut accedente vivifico Dei VERBO beatitudinem assecuti nostrà ætate non injuria videamur, adeoq; deprehendamus non frustrà, Deo Opt. Max. stabiliente, feliciter rem Romanam tot secula perdurasse & adhuc durare, quam ab U.C. 2357. annis continuis Diabolus mirè oppugnavit.

In ejusmodi autem Politicâ conscribendâ Symbolas suas contulerunt ij omnes, qui ex Romanis historijs passim & ex jure ipso statum rei Romanæ nobis exposuerunt, quorum labores, si secundùm Reipub. species, quas vocant, congererentur, facilè uno intuitu Rempub. veram possemus habere ita consummatam ut jam in usu esse possit.

Quâ in re pro virili parte & me ipsum aliquid in medium proferre hactenus juvit, & si in tanta Politicorum turba mea opella in obscuro est, nobilitate & magnitudine eo-

rum qui operis offecerunt meis me consolor. Laus est publica, & eos potissimùm respicit, qui Dei munere non studia solùm sua continuare, sed cum eruditis & expertis per Europam Viris linguarum commercio congredi & fructus suorum studiorum decerpere possunt: Mihi satis sit, si in aulica vita, quod Senecæ tribuitur, injurias accipiendo gratias agere discam. Quod si non omnes cum Annibale Alpes transcendere, Romanis bellum movere, Trasimenũ, Trebiam, Cannas nobilitare, Romam ipsam obsidere possumus:

ſumus: ab Annibale tamen poſſumus diſcere, quomodo Alpes tranſcenderit, Romanis bellum moverit, Cannas nobilitarit, Romam obſederit, & cum Maharbale dicere, Vincere ſcire Annibalem, victoriâ uti neſcire, aut ut Florus effert, cùm victoriâ uti poſſet, frui maluiſſe. F.380. Ideoq; Romanas Hiſtorias legere & mihi privatim accommodare nondum me pœnituit, præſertim in hac Politiæ Livianæ deſignatione, quam ex Regum ortu, uſque ad Regifugium ordine continuavi. Minutiſſima quidem illa pars eſt,

præ eo, quod ex Consulari ac Populari statu proferre decrevi, si vitam Deus benignissimè, otium Principes clementissimè contulerint. Interim nemini laborioso opus novum volo nunciatum: aggrediatur qui volet, Ecce Rhodus, ecce saltus! Ejusmodi enim Artes Livius (alibi Vias vocat; Tacitus Arcana; Aristoteles σοφίσματα, προφάσεις; Polybius ἐπικρύφια, Herodotus τὰ ἀπόῤῥητα καὶ κρυπτά.) non frustrà tanquam suæ Historiæ documenta & quædam certissima experimenta hinc inde digessit, quippe quæ Imperium

rium feliciter cœptum per tot secula conservarunt, & jam ab unoquoq; ad quodlibet facilè accommodari atque ad usum transferri possunt; Suntque tanti momenti, ut qui ex hoc aut alio aliquo Historicorum ejusmodi artes seligere & excerpere volet, næ ille cum Apiculis omnia libasse & succum præstantiorem ad suum mellificium extraxisse meliùs sibi gratulari poterit, quàm

Qui chymicos folles, magaq; illudibria rimat.

Ita etiam Tacitus monet ut non modò casus eventusq; rerum qui plerunq; fortuiti sunt,

ſunt, ſed ratio etiam cauſſæq; noſcantur. Unde autem rationes & cauſſas eventuum omnium rerum noſcemus ſi non ex hiſce ſententiis ſeu artibus hiſtoricorum cognoſcamus? & unde quæſo omnium Politicorum præcepta ac demonſtrationes niſi ex his fontibus? Nomini autem Illuſtriſſimæ Celſitudinis tuæ has meas opellas inſcriptas volui, potiſſimùm ut benefici principis non ingratus ſubditus videar: Vinaria enim veſtrate natus affectionem naturalem adhuc habeo, quod, ut ICtus loquitur, illìc educatus

tus sum & ibi parentes sepulti sunt. Patriæ itaq; & Patri Patriæ omnia mea servitia tribuenda censeo, ut omnes omnium charitates isti uni complectantur.

——— εἴπερ καί τις ἀπόπροθι πίονα οἶκον.
Γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει ἀπάνευθε τοκήων. *Hom. 1 Od.*

Canonem etiam hunc publicum Ill.mæ tuæ Celsitudini mittere ac persolvere in præsentiâ volui, ut in albo & numero vestrorum Civium esse ac haberi possim qui Patriæ ejusq; Principibus devotus sum omni loco ac tempore, Datum Lipsiæ 10. Xbr. 1612.

Ill.mæ tuæ Celsit.

Subjectiss.

C. F.

Index Artium

PARTIS PRIMÆ.

Regnum Romanum Quibus Pacis Artibus partum auctum & multiplicatum sit sub Regibus.

I.

Superante multitudine locum condendæ Urbis eligendo.

II.

Novam Urbem condendo.

III.

Romula conditæ Urbis imperio solùm potiente.

IV.

Conditam Urbem conditoris nomine appellando.

V.

Palatinum in Urbe muniendo.

VI.

Sacra patrio ritu faciendo.

VII.

Vocatæ ad conciliũ multitudini jura dando.

VIII.

Venerabiles insignibus imperii faciendo.

IX.

Duodecim Lictores sumendo.

Augen-

XXII.

Benignè Legatos tractando.

XXIII.

Tectis alterius Urbis dirutis duos Populos in unum confundendo.

XXIV.

Templum ordini Patrum Curiam faciendo.

XXV.

Tentari patientiam non sinendo.

XXVI.

Bella aliquo ritu indicendo.

XXVII.

Receptacula hostium diruendo.

XXVIII.

Malos metu pœnarum cohercendo.

XXIX.

Ludos, porticus, tabernasq; faciendo.

XXX.

Per speciem alienæ fungendæ vicis suas opes firmando.

XXXI.

Censum instituendo.

XXXII.

Vis omnis suffragiorum penès Primores ut esset efficiendo.

XXXIII.

Consilio imperium augendo.

Index

Lectori S.

Optime lector, resiste paullùm; ADMONITORIA quædam ad *T. Livij* præfationem, quæ & ipsum Authorem concernunt, & Ethicen ac politicen spectant, per *βιωφελεῖς γνώμας*, seù vitæ conducibiles Sententias præmittam, ut liberem hoc crimine *Livium*, quasi non sit sententiosus, ut ajunt, cujus una præfatio tot ac pluribus flosculis splendescit. Ecce tibi:

I.

Novi scriptores aut certiùs aliquid afferunt, aut scribendi arte rudem vetustatem superant.

Academico videtur LIVIUS uti temperamento, cum in præfatione operis sui dubitat, quodnam operæ pretium facturus sit, si res populi Romani scripserit. Sanè modestiores fuerunt omnes illi, qui omnem veriti sunt temerariæ

definitionis ſubire notam: & fortè, fortaſsè, forſitan, circumſpectionis verba ſunt, quæ dubitationem ſapientis admittunt,& à præcipitio temeritatis diligenter præcavent; Itaque hoc moderamine adhibito, cùm certiora omnia ſe allaturum profitetur *Livius*, tùm docet res ipſa, ſcribendi arte eum Veteres omnes ita ſuperare, ut ſplendore ſuo aciem omnium præſtinguat. Qui enim testem AVGUSTUM Imperatorem & cenſorem vivum producit, cum partes adhuc vigerent, aut partium ſtudia ſupereſſent,quid ille incerti enarret? Qui incorruptis rerum geſtarum monumentis ex vetuſtis commentariis, ex annalibus priſcis, ex libris Magiſtratuum latinis & græcis, libris linteis,ſtatuis,Tabulis,Lapidibus res geſtas excerpſit, quid ille falſi referat? Qui concionibus directis & obliquis Exempla Deliberationum, Conſiliorum,Legationum,Rituum,Morum diſciplinæ Rom. congeſſit,quid ille diſſimulet? Qui acta regum, Conſulta Senatus, Scita plebis expreſſit, quid

ille

ille non obſervaverit? Qui cum nondum promta in adulationes erant ingenia, neq; inſcitia Reipub. ut alienæ corrupta fide nitebatur; cum nondum halosin Romæ Nero decantaverat, nec dũ Gothica & Vandalica rabies ex antiquitate reliquias disjecerat, nec tempus edax rudera conſumſerat; ſed ſtantibus adhuc Populi Romani rebus hiſtoriam conſcribere aggreſſus eſt, quid ille non certiora omnia adferat? præſertim cum haud ignarus eſſe potuerit opinionis alterius? Quod verò mala fide ex authoribus quædam arguitur deſcripſiſſe, in hoc eandem cum *Ariſtotele* fortunam experitur: de quo alii. Vnum addam, qui ſuperioribus temporibus mentionem faciunt *Annalium*, puta, Q. *Fabij Pictoris*, utique ipſius *Pictoris Annales* legerunt, & ſi quid perperam aut falsò à *Livio* excerptum deprehendiſſent, de eo poſteros admonuiſſent. Nihil *Plutarchus in Rom. & de fortun. Rom.* Nihil *Plinius*, qui tamen non æquus gloriæ Livianæ æſtimator, ut in præfatione ejus

videre est, & *lib. 14. c. 13.* item. *10. cap. 24.* Nihil *Dionysius lib. 1. Solin. c. 2. Quintil. 1. c. 10. Fost. in puilia. Vict. de orthogr. Arnob. 6. Agell. 5. Macrob. 1. Prisc. lib. 10. Diomed. 1. ca. 4.* qui omnes cum Livio faciunt. Os ergo impudens, quod post hos omnes laureolam in mustaceo quærat! Scribendi autem arte tantum superavit rudem vetustatem, ut unus omnium mortalium judicio dignus habeatur, cujus propè invicto calamo invicti Populi Rom. res gestæ conscriberentur. Inde *T. Livius Tacito* eloquentiæ ac fidei præclarus imprimis; *Augustino* lacteo eloquentiæ fonte manat. Cætera de *Livio* testimonia suo tempore proferentur. Quam verò *Patavinitatem* & quibus in locis deprehenderit *Pollio*, non omnibus passim
1. c. 9. constare opinor. Equidem cum *Quintiliano* omnia Italica pro Romanis habeo. Nam quòd non nemo heri ac hodiè *Livio* summo & facundiss. Historico, ignorationem latinæ h. e. vernaculæ ac maternæ lingvæ objiciat, id non sine peri-

periculo totius Latii factum videri queat; studio certè calumniandi non caret, quando nemo tale quid operis adhuc præstitit, & omnes summo cum labore prima vix rudimenta lingvæ latinæ in scholis addiscimus, non cum lacte materno sugemus. Porrò quòd commotior surgas non semper melior ex lectione *Livij*, id superficiarium te lectorem arguet, qui in cymbis quidem sis, & maris historici trajicias planitiem, nihil tamen aut parum expisceris. Qui primus hoc effatus est *Lipsius*, sæpè monuit anteá Historias legendas cum attentione & electione rerum, inque iis sententias & Exempla conferenda esse. Quot autem & quales sententias cum Exemplis contulit ex *Livio Machiavellus*, quot *Clapmarius*, quot alii? & nos hîc etiam Symbolam nostram apponimus. Quin ergò commendandi *Taciti*, non contemnendi *Livij* istud *Iscanius* scripserit nullus dubito. Quid quòd si ad Historicam narrationem respicias, non est ejus proprium aliud, quàm res pro ut

gestæ sunt referre? si quid aliud doctrinæ inserere velis, non historicum agas, sed informatorem? qua de re apertè monitos nos vult *Livius* lib. 9. c. 17. Quod itaque de poëtis *Petronius*, ego de *Livio* pronunciarim: ipsum cavisse, ne sententiæ emineant extra corpus rationis expressæ, sed intecto vestibus colore niteant. Advertamus potius, quia ingenium humanum semper incrementum recipit, laborandum esse, ut omnibus in rebus certiora investiganda suscipiamus, & lingvæ proprietate quodlibet concipere atque enunciare studeamus, atque ita dicamus aliquid quod prius dictum non sit. Præterquam enim quod nihil ineptius, quàm fluctuare in singulis & nullius rei habere certitudinem, præsertim si nomen Philosophi aut Historici profitearis, quid obstat, quominus humani aliquid accidisse veteribus credamus, ut in ostendenda felicitatis viâ, rationis lumen caligine quadam interdum obductum in eis fuerit? Non loquor de fide nostrâ, quæ ad scientiam

non

non pervenit, nisi quòd quasi per speculum veritatem absentium contuemur: Sed incerta & dubitabilia sunt, quæ nec fidei nec sensus aut rationis manifestæ persvadentur authoritate, & quæ in utramq; partem nituntur firmamentis. Tale est quod author noster deprehendit *lib. 7. cap. 6. 21. 47. 8. 6. 2. 21.* & alibi.

Hæc atque his similia certioribus indagata vestigiis & commodâ oratione exornata lucem singularem accipiunt, & legenti cuivis ad minimum saltem verisimilia incipiunt videri.

VI.

Animus intendendus est in vitam & mores eorum qui pepererunt & auxerunt, imperium, & contrà.

Ad delectationem, Fidem & Vitam dicere tria sunt illa, quibus omnis Historiæ materies superstructa esse debet. Et animum quidem jucundæ narrationis varietate suspensum tenere, quisque tantum-non inertissimæ mentis poterit, & præstant hoc etiam fabulæ aniles.

Constantia autem dictorum & factorum si in veteribus creditur, à coætaneis nostris exigitur; utrinq; tamen ab utrarumque lectione adolescentes οὐκ οἰκεῖοι τῆς πολιτικῆς ἀκροαταὶ, & quasi inhabiles Rempub. tueri, commotiores surgent, non semper meliores aut ad vitæ casus instructiores. Quia ergo γελοῖον περὶ τὰ ἔξω κρίνειν; prudens rerum æstimator non animum picturâ pascet inani, sed per allicientem illam Historiæ lectionem cùm naturali voluptate semetipsum excitabit, tùm fide dignis & constantibus exemplis Vitam suam ita firmabit, ut aliorum casu discat ex usu quid sit suo. Quemadmodum enim leges scire, non est verba earum tenere, sed vim & potestatem: ita Historias legere, non est earum narrationem nudam percurrere, sed viva exempla cum rationibus seu sententiis, quæ rationum vicem obtinent, observare, & eventum ejusq; caussas examinare, sibique ac suæ Reipub. accommodare. In hoc mihi potissimum intendisse videntur Nobiles illi, quos ad contem-

L. 11. De Decurion.

contemplationem sui Roma non traxerat, sed unius *Livij* fama ab ultimis Hispaniæ, Galliarumque finibus Patavium perduxit. Nec enim putandum est, tot eos locorum intercapedines penetrasse, ut de summo & soluto pectore ea audirent, quæ ad focum enarrare concionalis quivis senex poterat: Sed ad illa acriter mihi intendisse animum videntur, ut qui ex uno *Livio* Vitas maximorum Impp. & Mores totius populi Rom. didicerant, sibi insuper persvadebant, eum etiam rectius novisse quibus viris & quibus artibus in bello ac pace tantum aut tale imperium pari & augeri, partum & auctum conservari possit. Ex quo illud assequi poterant, ut quasi in speculo exempla intuentes, quod salubre ac frugiferum sibi Reique publicæ esset, imitari possent; quod fœdum & inhonestum vitare ac cavere discerent. Vita autem Romuli & sequentium regum quæ fuerit, Coss. item ac Dictatorum & reliquorum Magistratuum ex lectione *Livij* facilè deprehendemus: Artes etiam

augendi & conservandi imperii non obscurè discemus, si eundem quasi digito monstrantem attentiùs observaverimus, adeoque verissimum agnoscemus illud, si Romanorum Virtutes percurramus nullam gentem potiorem; si Vitia, nullam deteriorem inveniri posse. Non autem somniamus in Repub. *Platonis*. Audiamus ergò *Livium*, & ut civilia mella conficere possimus, ex *Livio* sententiarum flores delibemus, quorum gustus quovis Indicæ arundinis succo dulcior futurus sit; feliciùs certè collocabimus operam, quàm si interea veluti formicæ Plinianæ aurũ conveheremus.

III.

Avaritia & Luxuria evertunt imperium: Paupertas & Parsimonia conservant.

Ex copia rerum aut Avaritia aut Luxuria nascitur, quæ utraque in exitium & exterminium Reipub. vergunt. Avaritia est indagatrix latentium lucrorum, manifestæ prædæ avidissima vorago, neque habendi fructu felix, & cupiditate quæ-

Iohan. Sarisb. in pol.

quærendi miserrima. Vt enim indigentia expleatur, diversa probantur à diversis, nulli autem vile aliquid aut sordidum videtur, sed omnis lucri bonus odor est, adeoque dum quæstum faciat, *Avarus*, quamvis,

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Quâ mare, quâ terra, quâ sidus currit utrunq;
Nec satiatus erat; gravidis freta pulsa carinis
Iam peragrabantur, si quis sinus abditus ultra,
Si qua foret tellus quæ fulvum mitteret aurum.

Avarus autem voti compos hoc potissimum curat, ut tenaciùs omnia servet, unde nulla honestas, nulla utilitas Reip. expediri potest. Nam si nemini profueris, neminem ad benefaciendum habebis adjutorem: deinde quò plura congesseris, plures habebis insidiatores. Ptolæmeus Rex Cypri cum magnas opes anxiis sordibus corrasisset, propterque eas se periturum videret, pecuniâ omni in navibus impositâ in altum processit, ut classe perforatâ suo arbitrio perirent, & hostes prædâ carerent: non sustinuit tamen mergere aurum, sed futurum

turum necis suæ præmium domum revexit, procul dubio non possidens divitias, sed à divitiis possessus, titulo Rex insulæ; animo pecuniæ miserabile mancipium. At si Luxuria insurgat ex copia, deteruntur omnia Reipub. commoda. non vulgò nota placent

Gaudia, non usu plebejo trita voluptas.
Assyria concham collaudat miles in unda:
Inde aliæ clades & læsæ vulnera pacis.
Heu pudet effari, perituraq; prodere fata!
Præmia, correptus miles vagus extruit armis.
Pellitur à populo victus Cato.
Hoc mersam cœno Romam, somnoq; jacentem
Quæ poterunt artes sanâ ratione movere,
Ni furor, & bellum, ferroq; excita libido?

Horum autem omnium finis est aut eversio aut confusio Reipublicæ. Atque inde Diogenes Tyrannos & subversores urbium bella non pro simplici victu olerum pomorumque, sed pro carnibus & epularum delitiis asserit excitare. Rectius quidem bellorum omnium matrem & altricem Luxuriam, quæ & ipsa non in sola gula placanda consistit, posuisset; Sed totum intellexit in parte, dum

n illam quæ in cibo, potu, Venere, u & aliis constat, ad gulæ speciem traxit. Horum autem intemperan- bonos mores subvertit, & totius ho- nis saluti præjudicat. Quomodo au- n & quo tempore invecta in Vrbem erit Luxuria videndus est *Livius*. lib. . c. 6. Paupertas non in defectu rerum nnium consistit, aliàs servitutis ini- am esset, & vita quieta esse non posset, naturæ necessaria subtraherentur, uod & malè constitutam Rempub. ar- ueret: Sed læta illa & honesta res, quæ eræ humilitatis custos & socia Virtutis arvo contenta est, & præsentia benè onsulit. Cum Roma cresceret, bove aurato donari, agro quantum uno die arari poterat, maximum virtutis erat præmium: & isto tamen modo ad pu- blica facinora excitabantur non solùm Viri, sed etiam fœminæ. Operæpretium 3. 26.
est audire, qui omnia præ divitiis huma- na spernunt, neque honori magno lo- cum, neque virtuti putant esse, nisi ubi effusè affluant opes: spes unica imperii Populi

Populi Romani L. Quintius Cincinnatus quatuor jugerum colebat agrum, Ibi ab legatis seu fossam fodiens bipalio innixus, seu cum araret, operi certè, id quod constat, agresti intentus salute data invicem, rēdditaque rogatus, ut quod benè verteret ipsi Reique pub. togatus mandata senatus audiret, togam properè è tugurio proferre uxorem jubet: qua simul absterso pulvere ac sudore velatus processit & Dictator consalutatus & in urbem vocatus fuit.

Optima autem parsimonia est, quâ nullum vectigal utilius; suis enim sumtibus commodissimè parcit, quem loculi exhibent alieni, & cibi ac potus abundantiam habet; sed quasi copiæ quoddam cornu dispensans omnia sic parcit, ut effundat, sic effundit, ut parcat. In paupertate ergò & parsimonia Virtutes hominibus instillantur, Artes excoluntur & omnia benè beatéque vivendi præcepta locum habent. Contrarium ex Luxuria & Avaritia promanat.

IV.
Ab initio absint Querelæ.

Querelæ finè temporum nota insigni ac censura quadam institui non possunt, cùmque hoc non sit Historici propriè, ideóque ab initio nec conqueri, nec judicium suum interponere vult, *Livius*, nè censorem potius, quàm rerum gestarum scriptorem agere videatur. Querelas filiorum Israël audivit Dominus, & ait eis: Vivo ego, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis, in solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Et alibi: quiescant querelę filiorum Israël, ne moriantur. Erant enim illæ querelæ nihil aliud nisi censura quædam eorum quæ Deus cum Israëlitis agebat, quasi iniquè ageret. Et Iob ait, quia querelas in se repererit Deus ideò arbitratus fuerit inimicum eum sibi; & finè querela est finè reprehensione. Inde *Rutilius*:

Num. 14. v. 27.

Philip. 2. v. 15.

> *Nunc quoq;, Sed melius de nostris fama queratur,*
> *Iudex posteritas semina dura notet:*

Et *Josephus*, Historiæ res, Lamenta authori tribuenda censet.

V. *Preca-*

V.

Precationibus Deorum Dearumq́; incipiendum.

Invocationem Deorum Poëtis in Exordio ſuorum operum familiarem eſſe vulgò notum eſt. Sed hoc non æquè Hiſtoriæ ſcriptoribus convenire hîc innuit *Livius*; Quia ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν ſimpliciter ſuas exordiuntur narrationes, prout res quæque ſeu ſacra ſeu profana ſit, geſta eſt, nec plus juſto ab rerum ordine declinant. Is enim ordo atque ea ſeries per ſemetipſam præparat animos diſcere cupientium, & excitat attentionem pollicitatione tantarum rerum, adeò ut nulla captanda ſit benevolentia commemoratione alicujus officii aut prælatione Dei Deævé. Poſſet alicui videri quædam ſimulatio, quaſi qui nolit, cum maximè invocet *Livius*. Rhetores, opinor, vocant Tranſitionem. Qui enim ubiq; Deorum facit mentionem; qui templa vota & dedicata, qui prodigia procurata & cætera, tàm accuratè

ratè deſcribit, quin ille non omnem averſetur religionis cultum veriſſimum eſt; Sed qui Deos invocant & iiſdem tàm abſurda & abominanda tribuunt, ut Poëtis mos eſt, næ illi ludum & jocum ſuos habent Deos, quod etiam *Plutarchus* reprehendit. Noſter autem *Livius* quàm tacitè Deorum reverentiam profitetur, tàm ſanctè eorundem cultus deſcribit, & ob oculos nobis ponit, caſtè potiùs quàm ſcitè coli Deos. Nobis quoque CHRISTIANIS exemplo eſt, quem in ore habemus DEUM, corde credendum ad ſalutem, ſiquidem veri adoratores Spiritu & Veritate eſſe velimus. *in Perikl. in f.*

B Pars

Pars prima.

REGNUM ROMANUM

Quibus pacis Artibus partum, auctum & multiplicatum sit sub Regibus.

ARS I.

Liv. lib. 1. c. 6.

Superante multitudine locum condendæ urbis eligendo.

Aristoteles. 7. pol. 4.

DE multitudine, tanquam fundamento omnis potentiæ, primùm est ut cogitet, quicunque urbem condere parat. Ipse DOMINUS ac DEUS noster cùm Terram sanctam eligendo sibi Civitatem condere, regnum Sacerdotale constituere, & quasi sedem MAIESTATIS terrenæ in habitationem sibi secernere vellet, multò antè ABRAHAMO, *futuro gentis prorsus magnæ ac potentis pa-*

Psal. 131.

tis patri promisit *se aucturum ipsius semen usq; ad numerum arenæ & stellarum*; idq; e ipsa præstitit pòst, ætate quartâ, *cùm ducendo* ISRAELITAS *per* MOISEN *ex Aegypto, sexcenta millia virorum proficiscerentur unà, præter parvulos & miscellaneum aliam turbam multam*. Vnus enim Vir, nullus Vir, & nemo unus sibi soli nasci potuit; nemo sibi soli adesse vel præesse voluit: adeóque singulus quisq; homo est quasi Elementum urbis, sicut in sermone Litera. Quemadmodum autem Literarum duæ vel plures syllabam faciunt, atque inde ex his Elementis integra vox fit & cöalescit in sermonem: ita etiam *duorum numero contenta est pluralis elocutio*, atque ita etiam ex primis duobus HOMINIBUS conjunctione maritali orti sunt LIBERI, qui emancipati non ulterius sunt in potestate parentum, sed *novos ipsi instituunt gradus & ordines seu lineas, quæ cognationes separant, & in familias distingvunt*: Ex his familiis domuum, pagorum, urbium & regnorum initia & incrementa processerunt,

l. 12. De testibus.

l. 195. §. 2. De V. S.

ferunt, postquam in multitudinem excreverunt. Vix quisquam igitur assentiri poterit iis, qui cum Cicerone & Horatio affirmant, *fuisse quondam tempus cùm in agris Homines passim Bestiarum more vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant.* Cùm enim omnia essent valdè bona, quæ DEUS in principio creaverat; unum Hominem esse solum, non bonum esse extemplò prima S. S. TRINITATIS consultatio decrevit, & Viro fœminam adjutricem condidit, ut cresceret ac multiplicaretur. Exinde Homo naturâ suâ animal est politicum ad mutuas societates natum, adeò ut qui nullius auxilii mutui egeat, nihilominus cum aliis se invicem conjungat, & ad mutua officia alios provocet. Duæ autem sunt partes collectæ omnis multitudinis: una Imperantium, alterâ obœdientium. Cum enim *æqvum fuerit,* ut Plautus asserit, *Deos paravisse, uno exemplo ne omnes vitam viverent, sicuti merci pretium statui, pro virtute ut veneat*; & *l. 12. De leg. 3.* verò *inter homines magna sit differentia ætatis*

ætatis & conditionis, ingenij & naturæ, doctrinæ & institutionis, ita ut alii innatâ etiam prudentiâ, providere, quæ ad salutem concernant, possint, alii autem præter corporis labores nihil præstare amplius queant, prima & validissima lex hæc est, quæ salutis indigenti, eum qui salutem afferre possit, principem destinat, ut unus imperandi jus habeat ac dominetur naturâ; alter imperata faciat, & naturâ serviat. Et hoc quidem in multitudine Albanorum, Latinorum ac convenarum Pastorum videre est, quàm frequentes eos collegerunt, tàm obsequentes &[illegible]igeros habuerunt Romulus ac R[illegible],ut ad Coloniam deducendam & urbem condendam facilè spem omnes facerent, parvam Albam, parvum Lavinium fore. Locum autem ipsum non sine causa Dii hominesque eum urbi condendæ elegerunt; saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, l. 31. De solut.

B 3 nec

nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum; regionum Italiæ medium, ad incrementum Orbis natum unicè locum: Adeò ut Plutarchus affirmet, *cùm urbem Romam ut opificium instituisset, Tempus Socio* DEO *fortunam & virtutem inter se temperasse & copulavisse, quò ab utraq; mutuatum peculiarem operam, exædificaret omnibus mortalibus domicilium verè sacrum & beneficum, arcemq; firmam atque elementum sempiternum; quod labascentibus rebus humanis anchoræ vice adversus jactationem & errores foret.* De his omnibus etiam Virgilius cogitavit, dum Trojâ in [illegible] educit
3. Æn. Æneam, cum ait:

—— Ingentem comitum affluxisse novorum
Invenio admirans numerum, matresq; virosq;
Collectam exilio pubem, miserabile vulgus,
Undique convenêre, animis opibusq; parati.
In quascunque velim pelago deducere terras.

Qui paullò antè edixerat sociis:

—— Est tumulus juxtaq; antiqua Cupressus.
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.

ARS II.

ARS II.

NOVAM Vrbem condendo. 1. 6.

CONdendæ itaq; Vrbis cupido non heri aut hodiè nata eſt, ſed quàm primùm Homines cœperunt eſſe, coire & convenire, ea etiam ſimul extitit: quemadmodum Apes videmus congredi, non quidem ut favos faciant, ſed cùm naturâ coëunt, tùm favos faciunt. Rectè itaque ARISTOTELES in unum convenire Homines aſſerit à natura, *ut benè vivant*: nam qui & nullius auxilii mutui egeant, οὐκ ἔλαττον ὀρέγονται τοῦ συζῆν. Rectè etiam Plato ſcribit, *liberos hominum cœtus egeſtate & neceſſitate*, addo, vi, fraude, metu *in ordinem coactos*, cùm aut ab injuriis ſe defenderent, aut invadenti cederent, aut potentioris alicujus defenſioni ſe crederent. Vtcunque ſit, cùm poſt conjunctionem *ſub dio & ramis arboris altæ* non benè, nec rectè neque ordine vivitur: & verò ex atomis concurſu quodam fortuito Vrbs non ita efficitur, ſicut multitudo ex confluge Hominum con-

3. Pol. 6.

3. de LL.

 ficitur,

ficitur, nec lapides ac tigna suâ sponte coëunt; rotæ manus admovenda est, & Gen. 11. dicat alter ad proximum suum: *Venite, faciamus lateres & coquamus eos igni, faciamus nobis Civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum*; Fuerat enim tum universa terra sermone uno & verbis eisdem usa. Sed primò omnium CAIN furiis cæsi fratris actus, ut alicubi tutus esset, Vrbem condidit de nomine filii: & NIMROT etiam hac in parte *fortis fuit Venator*, coram Domino, Non solùm in homines dominando, sed etiam in unum locum tanquam in retia cogendo: Regni enim ejus initium fuit Cæs. 5. Com. Babylon. Britanni olim sylvas impeditas vallo atque fossâ muniverunt, quo incursionis hostium vitandæ caussâ convenire consveverant. Inde rectiùs Cicero: *Spe*, inquit, *custodiendarum rerum suarum præsidia Urbium quærunt Homines.* Et sanè conditâ Vrbe fundamentum primum videtur esse jactum, cui omnia superstrui possunt, sive hominibus ritè congregandis, sive congregatis ordine dispo-

disponendis & æterno quodam vinculo conservandis, ut Vrbem dicere possis conjunctis domiciliis multitudinem aliquo societatis vinculo colligatam, sicut etiam ARISTOTELIS definitio est: πόλις οἰκιῶν πλῆθός ἐστι, καὶ χώρας καὶ κτημάτων, αὐτάρκες πρὸς τὸ εὖ ζῆν. Atque ista urbium condendarum cupiditas majoribus nostris feliciter cessit, adeò ut etiam in Historiis passim summis ferantur laudibus, & in sacris nominatim recenseantur ejusmodi Vrbium conditores. Ad quorum numerum referendi ii, qui aut amplificarunt, aut, quod in fratre deprædicat Cicero, *Urbes dirutas ac disertas recrearunt*: Vrbs enim dum exornatur, alitur. Cæsar super Italiæ Galliarumq; & Hispaniarum, Asiæ quoque potentissimas Vrbes præcipuis operibus exornavit. Augustus urbes ære alieno laborantes levavit, & terræ motu subversas denuò condidit: Vrbem verò Orbis dominam, quam lateritiam acceperat, marmoream se relinquere ex vero gloriatus fuit. HENRICUS Auceps cùm

1. Oec. 1.

Dio Cass. 51. in pr.

Fab. 2. Orig.

raræ essent Vrbes & rariùs habitarentur, passim in GERMANIA novas condidit & munivit, & nonum quemque virum ex agris in eas custodiæ caussâ transtulit. Et quid aliud faciunt hodiè, qui etiamnum aut novas condunt Vrbes, ut PALMAM Veneti, HANOVIAM Comites Hanoviæ, MANHEIMIUM & Neoburgum Palatini; aut conditas novo quasi incremento recondunt, & munitionibus præsidiis, alimentis, immunitatibus & similibus firmant? siquidem & Impp. cunctis volentibus per provincias permiserunt murali ambitu fundos proprios seu loca sui dominii constituta vallare. Et Iure gentium *quilibet in suo ædificare & quodlibet exornare potest*, nisi si ad æmulationem Imperii aut in Limitibus instituat: & rectè compelluntur etiam Domini *reficere ædificia & deformitati auxilium ferre*. Ex his satis constat, si nondum ab alio condita sit, suâ ipsius Arte condendam esse Vrbem ei, qui Regni ritè auspicandi satagit, juxta illud Hesiodi:

l. 10. C. de ædif. privat.

Gail. 1. de pac. 1. n. 42.

l. 2. C. de fundis lim.

l. 46. De den. inf.

Οἶκον

Οἶκον μὲν πρώτιστα.

—— —— — memento.

Prima locare manu moliriq; aggere tecta. *Virg. 7. & 8. Aen.*

Hic locus Urbis erit, requies ea certa laborum.

ARS III.

Romulo conditæ Urbis Imperio solum potiunte. 1. c. 7.

REgni cupidinem in Romulo malum avitum vocat Livius, cùm quia Avi sui frater Amulius vi pulso Numitore regnavit; tùm quòd videtur esse malum quoddam necessarium & quasi hereditarium, ut omne regnum impatiens sit consortis, adeóque ubivis ferè obtineat illud, quod ex Homero Domitianus sibi accomodavit: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. πρώτη γὰρ καὶ ἀδολωτάτη ἡ βασιλεία. Quò respexit ALEXANDER Magnus, qui Dario dimidiam regni partem cum filia offerenti affirmavit: *Nec Cœlum nisi unum Solem nec Terram nisi unum Dominum posse pati.* Et sanè unus est DEUS cui mundus paret, & maria terræque obœdiunt; una est anima, cui

ma, cui tot corporis membra obtemperant; & una est omnium naturâ, sicut unitas etiam principium est & radix omnium numerorum: *πρὸς ἓν γὰρ ἅπαντα συντέτακται.* Ergò ea vera est conditio imperandi, ut non aliter cõstet ratio, quàm si uni reddatur: unum est enim Reipub. corpus, atque unius animo regendum. Ex contrario non frustra SALOMON ait: *propter peccata regionis multi sunt principes ejus*; quod aut ad crebras principum mutationes, aut ad multitudinem simul imperantium referre possis. Neque tamen hîc excusandum assumimus Romuli fratricidium, eorúmve omnium, qui regnandi gratiâ jus violarunt: quasi non posset nisi unus in regno ferri, qui supra fas & omne legum imperium sese efferat, & quibusvis cupiditatibus præceps agatur, cui nemo ausit dicere; *Quid facis?* saltem eò intenditur, ut quia *Magistratuũ officium individuũ est*, & forma Reipub. in statu qualitatis nulla esse possit, nisi in eâ ad unum aliquod summum omnia referantur: ideò jure meritò

l. 11. in pr. l. 13. D. ad municip. Arist. 4. pol. 12.

meritò omnis poteſtas & imperium ei & in eum transferatur, qui nec ſuperiorem nec parem agnoſcat, adeò ut quamvis plures ſimul imperent, *quibus ſumma Reipub. commiſſa ſit*, uti in Coſſ. & plurium Dominatu videbitur, unius tamen vicem ſubire & pro unâ perſonâ haberi videantur, quod Vlpianus affirmat, qui *Magiſtratus*, inquit, *municipales, cum unum magiſtratum adminiſtrent, unius etiam hominis vicem ſuſtinent*, & omnis numerus eorum, qui in locum unius ſubſtituuntur, pro ſingulari perſona eſt habendus: quemadmodum unius loco habentur, qui eandem habent actionem, & Collegarum appellatione continentur, qui ſunt ejuſdem poteſtatis, ut ita ſumma rerum uni tradita ſit, & tamen in certis adminiſtrationibus alii ſimul ſint conſtituti. Neque hîc hæſitandum nobis putamus cum GENTILE, quod quibusdam Virgilii Æneis nec unius Æneæ actionem, nec actionem unam, ſed multorum ſub Ænea Duce, & rurſus ejus navigationem in Italiam, ſimul etiam bellum

l. 97. De condit. & dem.

l. 25. D. ad municip.

l. 9. De pact.

l. 77. §. 1. De leg. 2.

Ad tit. C. de maleſ.

bellum cum Latinis continere videatur; quasi Virgilius debuisset unum Æneam in scenam producere,qui gloriabundus,
5. Æn. cum illo Darete,*cunctosq; putans excedere pugna*, posceret præmia, quia nemo auderet se credere pugnæ. Quæ verò hæc gloria sit, si solus tanquam larva cum larvis certes atque ictibus auras verberes? an nescis quòd ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus autem accipit brabeium? Quin ut ideam vitaret Virgilius, facit suum Æneam etiam vulnerari: Quis enim credat ex tot præliis sinè vulnere militem reverti posse; & quis sanus dicat, sine adjuvantibus personis principem solum in militiam ire, belli ac pacis negotia conficere? Quamvis itaque unus Cœli Sol sit, qui reliquis præluceat, suum tamen splendorem habet etiam Hesperus & reliquæ stellæ, quæ vires suas ad ministerium Vniversi conferunt. Sic in uno nostro corpore multa membra sunt, ad unum tamen omnia referuntur: & in administratione principatus quot ex-

tant

tant officia, tot ſunt principalis corporis quaſi quædam membra, quæ in conſonantiâ opinionum ſanitatem totius conſervant. Artis ergò eſt, ut unus imperet, qui uno regno frui voluerit;

—— — nam ſapè duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu.

ARS IV.

Conditam Vrbem conditoris nomine appellando. 1.c.7.

CONdita Vrbs ſub unius imperio, illius nomine appellanda venit, ut ad unum omnia reſpiciant, & corpora plura non ſoluta, ſed uni nomini ſubjeƈta ſint, Ac ſicut à patre filii,ſic à Romulo Roma & Romani denominentur. Ratio enim originis & ortûs Regi hoc jus, quemadmodum & imperium, conciliat in incolas, ut terram occupatam faciat hereditariam, & inſtar Genitoris filios Subditos habeat in poteſtate, quod Lex municipii ex reſcripto Impp. etiam Duumviris dedit. Itaq, Romulus cùm Quirinum ſe dixiſſet, ſuos quoque dici Quirites

l. 30. in pr. De uſurpat.

l. 1. C. de emancipat. lib.

rites voluit, ut geminatâ Vrbe Sabinis aliquid daretur. Æneas ut animos Aboriginum ſibi conciliaret, ne ſub eodem jure ſolùm, ſed ſub eodem etiam nomine eſſent, Latinos utramque gentem appellavit, nec deinde Aborigines Trojanis ſtudio ac fide erga regem Æneam ceſſere. Veteres ſanè omnes ſummo ſtudio conati ſunt, cùm rebus omnibus, tùm etiam Oppidis inſignia nomina ominis cauſsâ indere, vel malè indita mutare; ut de *Maſſilia* & *Benevento* conſtat, idque non niſi factis ſacris & captis auguriis. Vnde Nominalia vocat Tertullianus eas ſolennitates, quibus nomina imponere rebus & hominibus conſveverunt Romani. Quanquam autem nomen tanquam merum accidens ſit, & ficta nota rei; tamen neſcio quam ſingularem habeat Emphaſin iſta paranomaſia ſeu agnominatio, cùm ab uno quaſi prognati & à communi radice omnes quodam-modò participes illius ſucci & ſangvinis videri volunt, ut idem nomen quandam quaſi cognationem mutuam præ-

De Idol. c. 16.

præbeat, quam inter nos natura constituit, si Platoni credimus. Ita ab EBER Ebræi omnes certatim appellari voluerunt ejus posteri: & à IUDA nomen Iudæi mordicùs retinent; sicut Græci alios omnes barbaros videri volunt. Persarum regibus in more positum fuit, ut ad imperium accedentes nomina mutarent. Et ita post mortem *Ochi* Regis Codomanum in memoriam pristinæ virtutis regem à populo constitutum, *Darij* nomine, ne quid regiæ majestati deesset honoratum. Quo fine quia *Cæsar* Romano Imperio principium dedit, Imperatores sequentes Cæsares omnes nominari maluerunt, ut jam non dignitatis tantùm, sed & successionis nomen factum sit. Certè quæcunque illa, felix necessitas fuit, unde tam clarum & duraturum cum mundo nomen effloruit. Et hodiernorum Iesuitarum secta posset alicui videri, quasi cum nomine incrementum tantum cepisse, ut jam mole laboret sua: nam plures ferè invenias hodiè Iesuitas, quàm veros CHRISTIANOS.

Iustin. 10.

Nov. 30. *in pr.*

Ael. Spart. f. 135.

NOS. Cæterum non Romula, ſed Roma à virium magnitudine, ſeu, ut ex Ariſtide colligitur, à robore & valentia appellata eſt Vrbs, cùm quòd ampliore vocabuli ſignificatione proſperiora patriæ ſuæ ominatus fuit Romulus, ſiquidem Gabiis græcas latinasque literas didicerat, tùm quòd Roma alias æquales ſibi ſuper-impoſitas urbes alteram ſuper alteram ferre potuit, tanquam in qua totæ nationes ſimul & confertim habitarunt; quaſi in communi totius terræ oppido. Quanquam autem verum & latinum nomen ſuæ Vrbis ignotum eſſe voluerint Romani, ne ab hoſtibus ritu aliquo evocari ejus numen poſſet: tamen vix crediderim aliud nomen Romam habuiſſe, *Valentia* enim ut ſupra diximus ex græco eſt. Etiamſi numen tutelare nomine ignoto cultum fuerit, quod ad Saturnum refert *Plinius* & *Solinus*. Illud etiam advertendum quòd *evulgatum Imperij arcanum* ſcribit Tacitus, cum alibi, quàm Romæ poſt Neronem Principes fieri poterant; adeò & loci

Sex. Aurel. Vict.

lib. 3. c. 5.
ibi. 55. c. 2.

1. Hiſt.

loci & nominis ratio habebatur, ut nisi quid Romæ fieret, nullibi rectè fieri posse putaretur, & quamvis virtus Romana transire aliò possit, fortuna tamen loci hujus transferri indè non possit. Itaque *ab Urbe abesse & ab Repub. abesse* idem significare notavit P. Faber. Sic Flamen *ad tit. de Orig. juris* Dialis *abnoctando*, id est, extra urbem 5. 54. manendo in singulas noctes sibi Reique publicæ piaculum contrahit: & quæ alia de loci proprietate apud authorem nostrum Camillus suggerit. Hac igitur 5. 52. arte nomina cum omine feliciter sumenda sunt & eligenda; nam secundùm Virgilium:

—— —— *gaudet cognomine terra.*

ARS V.

Palatinum in Urbe muniendo.

IN sua Roma singulare sibi domicilium constituit Romulus; primò quidem ut frequentiùs habitaretur & diligentiùs excoleretur ille mons; in quem 1. 7. finem *Tullus* Rex *Cælium montem* sedem 1. 30. regiæ cæpit: Et videmus apertè ubicun-

que Cæsar, Reges, & alii principes aulas & curias suas conferunt, ibi ingentem concursum esse hominum & urbes mirè excoli. Vnde factum, ut Metropoles & primariæ civitates singulari dignitate Impp. beneficio perfruantur: Quod & *Nimrod* fecit, cujus initium regni fuit Babylon, id est, quæ civitatum cæterarum gereret principatum, ubi esset tanquam in metropoli habitaculum regni. Quin & ipse Deus cùm ex visibili creatura plasmaturus erat hominem ad imaginem suam, tanquam quendam regem & principem universæ terræ, præstruxit ei quandam veluti regiam, *Paradisum* lætitiæ & voluptatis omnis promtuarium: in Oriente verò omni terra excelsior collocatus erat divinus locus, in quo nullus irrationalium habitabat sed solus homo, censente *Damasceno*. Potissimùm tamen *Aventinum* muniit Romulus, tanquam arcem securitatis & majestatis, adeóque etiam cohercitionis. Qui enim in alto atque munito loco arcem inexpugnabilem habet, in subjectos

l. un. C. de metr.

Damasc. 2. de orthod. fid. c. 11.

jectos facilè imperium obtinet: quæ suspicio movit populum Romanum, cùm *Valerius Cos.* ædificaret in summa *Velia*, eum regnum affectare, easque ædes obstare libertati; Vnde ille detulit non in planum modò ædes, sed colli etiam subjecit, ut supra suspectum se civem habitaret populus. Securi autem sunt principes, nec cuivis injuriæ expositi, qui ut ex *Aristotele Apulejus* vertit, *nulli temerè notitiam oris sui pandunt*, id est, qui aulas ac domos suas sejunctas habent à publico: quin & suam majestatem retinent, qui seorsim à vulgi consuetudine locis eminentioribus habitant, & à sordidorum hominum conversatione abstinent: nimia enim familiaritas contemtum parit, & minuit præsentia famam. Qua in re maximè sibi caverunt Romani, qui mandatis suis adjiciebant, *ne Præsides in ulteriorem familiaritatem provinciales admitterent*, nam ex conversatione æquali contemtio dignitatis nascitur, & continuus aspectus minùs verendos facit homines magnos ipsa satietate,

l. 7.

l. 19. De off. præsid.

tietate. Aspici se eminus patiantur principes, unde nullis nævis dehonestantur, quod in tapetibus fieri solet; & sicut flores suavissimi naribus propiùs admoti minùs bene olent, quia quod terreum in eis est, miscetur spiritibus odoris: Ita quantò longiùs à conspectu suorum absunt principes, tantò securiores & venerabiliores sunt. Sed ne tamen cum *Sardanapâlo* gynæceis se includant, & responsa per arundines reddant, aut cum *Pallante* autoritatis asserendæ causâ nunquam domi aliquid nisi nutu aut manu significent, vel si plura demonstranda sint scripto utantur, ne vocem socient, Quin sedeant in portis & judicent, sicut reges Israëlitarum, exeant & introeant, domum tamen suam habeant cum Salomone segregatam ab aliis ut si quid peccent, clam & in occulto peccent, quod de *Carolo V.* effert *Thuanus*. Porrò Roma ipsa dicebatur *arx Italiæ*, quòd Populus Romanus tanquam rex in ea præsideret universæ terræ, quâ desertâ *Pompejus* à *Fausto* reprehensus fuit quod *Themisto-*

Tacit. 13 An.

Plut. Apopht.

mistoclem potiùs quàm *Periclem* esset imitatus excedendo Româ Italiâque relinquendâ cedens Cæsari de principatu, quod & *Cicero* in eo animadvertit, qui aliàs etiam ad palatium habitare maluit Romæ, non tam ut qui se inviserent, ne qua longiùs ire cogerentur, quàm quòd ex vicino palatio majestatem quandam sibi conciliare voluit.

— Huic arte subscribet, quisquis cum majestate.
—— In sua arce sub ficu & vite suâ *habitat.*

quemadmodum,

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis 7. *Aen.*
—— Urbe fuit mediâ Laurentis regia Pici.

ARS VI.

Sacra patrio ritu faciendo. 1. 7.

NEmo usque eò dimissus in terram est, ut ad cœlum non erigatur; utique cùm omnes esse DEUM & Numen quoddam aut credant, aut credere videri velint, cumque supra se esse & potentius quid sentiant, id sibi conciliari quovis modo student, ita ut DEI cultus

(cum Politicis loquor) in animis nostris insitus atque nobiscum simul natus videatur: & quamvis alii alios, suos sibi quisque olim constitueret cultus, eos tamen potiores omnes arbitrabantur, qui ab Imperantibus instituebantur. Eorum enim actiones in omnium luce versari necesse est, & quicquid divini præ se ferunt id & rectius & Diis acceptius esse putatur, adeò ut dum immortalium Deorum cultores sunt, ipsi sibi hac Virtute pariant & securitatem & immortalitatem, cui tantoperè favent. Nam subditi ipsi si principem religiosum esse, metu Deorum contineri, Deos curare videant, certò sibi persvadent, præter jus fasque nihil incommodi ab ejusmodi principe metuendum, insuper etiam ab insidiis & rebellionibus cavent, quando intelligunt, Deos quasi belli societate cum principe conjunctos & cognatos, hoc est, ut CHRISTIANI scimus, Magistratum sacrosanctum, & ultionem divinam violato ordini præstò esse. Quin & ipsi inter se Cives eâ pie-

tate

tate imbuuntur cùm interesse rebus humanis cœleste numen credunt, ut fides ac jusjurandum proximo legum ac pœnarum metu eos contineat & suâ sponte ad subjectionem deducat. Hæ fuerunt Artes, quibus Romulus veterum superstitionum ineptias & à Græcis in vulgus sparsas de Diis fabulas profligare aliquomodo potuit,& eâ religione imbuere suos, ut assvescerent de Diis optimè & sentire & loqui. Quod si coëtaneum suum EZECHIAM Regem imitatus fuisset, aut IESAIAM Prophetam, qui eo etiam tempore vivebat, consuluisset, facilè non inanes modò fabulas exstirpare, sed etiam de Deo veras sanasque opiniones recipere, & Civibus ad credendum proponere potuisset. Iam cùm humano judicio, cui Verbum DEI non affulget, de religione ipsi ac Numæ pronunciandum est, omnium primùm rem ad multitudinem imperitam & illis seculis rudem, efficacissimam Deorum metum rebantur vulgò injiciendum, & nihil belli domique nisi auspicatò gerebant,

bant, nec cœleſtes modò cæremonias, ſed juſta quoque funebria, prodigia fulminibus, aliové quovis modò miſſa ſuſcipiebant & curabant. Auſpiciis urbem conditam eſſe, auſpiciis bello ac pace, domi militiæque omnia geſta, quis eſt qui ignoret? Atque hæ opiniones ut tenaciùs animis inhærerent, cavebant maximè ne aliena ſacra aſſumerent, præterquam quibus ab initio aſſvefacti, & à teneris inducti erant cives. Norant enim cum peregrinis ſacris, peregrinos etiam mores, & animos induendos, undè inconſtantes evaderent & ab amore Patriæ degenerarent. Quin & *Romulus* una peregrina ſacra non tam ſuſcepit, quàm dudum ſuſcepta retinuit ab *Evandro* inducta & civibus familiaria. Vnde non mirum ſi pro eo imperio augendo, cuſtodiendoque pertinax Deorum indulgentia ſemper excubuit, & ut Rutilius canit:

Sollicitos habuit Roma futura Deos.

Atque hæc ea eſt ars, qua ex homine

DEUS

DEUS fit rex felici quadam ἀποθεώσει &
numerum Divorum altaribus auget. *6. & 7. Aen.*

—— *Deum certiß. proles.*

ARS VII.

Vocatæ ad concilium multitudini Jura dando. 1. 8.

HActenus quidem aliquomodo in formam quandam redacta multitudo videri poterat, ut in unâ urbe, uno communi nomine Romani appellati, unum *Romulum* in arce præsidentem haberent, & sacris cum eo operarentur; sed coalescere in populi unius corpus nullâ re præterquam Legibus poterant. Non enim habebat Romulus

Saturni gentem haud vinclo nec legibus æquam,
Sponte sua veterisq; DEI se more tenentem.

Sed malorum maximus erat qui fuit & adhuc est proventus, ex quorum malis moribus bonæ leges eruendæ erant. Leges igitur extemplò cœperunt scribi, cùm civitates condi & magistratus creari cœperunt; Sunt enim *§. 11. I. de rerũ divis.*

commu-

l. 2. De R. communis Reipub. sponsio eorum, quæ naturâ civilia sunt, aut faciendorum aut omittendorum. Ideóque Romulus ad concilium suos vocat, & præscribit singulis, qualem vitam, si in Republica esse velint instituere debeant: si quibus autem minùs benè conveniat inter se, eos arbitriis suis discernit, tanquam qui omnia manu ex regiâ potestate gubernabat.

Ea arbitria tandem Legum vim ac naturam induerunt, ut quod Principi placeret, legis haberet vigorem. Lege autem, jure ac moribus cùm Vrbem novam Numa de integro condere pararet, atque iis inter bella cùm assvescere videret non posse (quippe efferatis militiâ animis) mitigandum ferocem populum armorum desvetudine ratus, Ianum apertum belli, clausum pacis indicem

L. 17. §. 6. De recept. fecit. Itaque clauso Iano cùm *sine controversiis tot capita in urbe vivere non possent*, & aut uterque litigans jus ignoraret, aut alter ex nequitia dissimularet, sanè controvertentes non æqualiter dirimere

mere nihil aliud fuisset, quàm aut in-
iriam patefieri innocenti, aut fovere
iteſtinas diſſenſiones, quæ brevi peſſi-
iæ publico erupturæ ſint. *Cur verò ad* l. 13. §. 3.
ma & rixam patiaris procedere, quos poſ- De uſufr.
jurisdictione tua componere?

Conſultum ergò fuit, quia omnis ci-
um numerus ubique conſtat ex *Egen-* Ariſt. 5.
bus & *Locupletibus*, utrumque quidem pol. 11.
:nus ita tractari, ut incolumes ſuas ſe
ibere fortunas rege ita judicante ex-
:imet, dum neutri alteris injuriam in-
runt, aut ſi qua inferatur, ſeverè & ex-
mplò vindicetur: interim etiam utro-
mque, quod & *Ariſtoteles* ſentit, re-
ectus habeatur; *locupletium* quidem
l pecuniæ neceſſitates explendas, &
enorum ad exercitus ſupplendos. Hoc
odo videntur plurimi Reges ad regi-
n faſtigium perveniſſe ab initiò; cujus
i exemplum refert *Herodotus* de *Dejoce* Herod.
iodam, qui cum *Medis* eundem vicum
habitans Iudex controverſiarum do-
eſticarum conſtitutus, ſemper ſe æ-
'um bonumque præbebat. Qua ex re
laudem

laudem apud populares haud vulgarem consecutus eſt, adeò ut cùm in aliis pagis intelligerent, Dejocem ſolum eſſe, qui incorruptè judicaret, ad eum diſceptaturi accurrerent. Tandem cùm diutius illic ſedere, ubi jus dicere conſveverat, nec poſſet, nec vellet, ſiquidem rebus ſuis domi neglectis, dirimendis aliorum litibus tempus tereret, habito conſilio Rex declaratus, cum communione civili, ordinem judiciorum conſtituit; & regnum ſibi firmavit. Et hòc modo ADAMUM procul dubio æſtimarunt poſteri, ceu Dominum ſervi, principem ſubditi, Patrem Liberi. Atque ita etiam Aureum forte an Poëtarum ſeculum conſtitit, adeóque etiamnum LL. Romanorum *Patrisfamilias conſvetudo & mens ante omnia exquiritur.* Quanquam autem Regem per ſe jus dicere, neque neceſſarium, neque utile eſſe Civibus quidam aſſerant: tamen exemplo MOSIS, SALOMONIS, AUGUSTI, SEVERI, princeps cauſſarum ſeveriorum cognitiones ſibi reſervet, reliqua minutiora

Idem refertur in Chronic. Thur. de Ludovico Barbato, anno 1036.

l. 50. §. 3. *De leg.* 1.

ora Magistratibus inferioribus permit-
t: ne eveniat, quod Tarquinio prisco
cidit, ut in erroribus demonstrabitur.
Leges ipsas *Romuli* elegantissimè pro-
onit & exponit Franciscus Balduinus
Ctus, quarum hic est ordo:

Leges Romuli.

I.

NE quid inauguratò faciunto.

II.

atres Sacra, Magistratusq́; soli pergunto, ineuntoq́.

III.

acrorum omnium potestas sub regibus esto. Sacra Patres custodiunto.

IV.

lebei agros colunto.

V.

opulus Magistratus creanto, Leges sciscunto, bella decernunto.

VI.

Deorum fabulas ne credunto.

VII.

Deos peregrinos, præter Faunum, ne colunto.

Noctur-

VIII.

Nocturnas in templo vigilias ne habento.

IX.

Ne quis præsentibus fœminis obscœna verba facito.

X.

Quisq; demissam ad talos togam in Urbe habeto.

XI.

Parricidas omnes capite puniunto.

XII.

Ne quis, nisi per portas, Urbem ingreditor, néve egreditor. Mœnia sacrosancta sunto.

XIII.

Mulier Viro legitimè conjuncta, fortunarum & sacrorum socia illi esto: utq; domûs ille dominus, ita hæc domina.

XIV.

Filia uti Patri, ita defuncto Viro heres esto.

XV.

Adulterij convictam Vir & Cognati, uti volent, necanto.

XVI.

Si vinum biberit, domi ut adulteram puniunto.

XVII.

rentum liberos omne jus esto relegandi, vendendi, & occidendi.

XVIII.

Monstrosos partus sine fraude cædunto.

De his videantur FRANCISCI BALDUINI ICti libri duo in Leges Romuli LL. XII. Tab. quibus fontes Juris ivilis explicantur.

His artibus sacerdotem Iustitiæ se ofitetur princeps, & veram non simuam Philosophiam affectat. Sic etiam ud [illegible]eros judicio Virgilii:

Quæsitor Minas urnam movet; ille silentum
Conciliumq́ vocat, vitasq́ & crimina discit. 6. Æn.

apiculæ;

—— *magnis agitant sub legibus ævum.*

que has superiores artes Virgilius his rsibus comprehendit:

—— —— *Æneas Urbem designat aratro* 5. Æn.
Sortiturq́ domos: hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Esse jubet. gaudet regno Trojanus Acestes,
Indicitq́ forum & Patribus dat jura vocatis
Tunc vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

VIII.

Nocturnas in templo vigilias ne habento.

IX.

Ne quis præsentibus fœminis obscæna verba facito.

X.

Quisq; demissam ad talos togam in Urbe habeto.

XI.

Parricidas omnes capite puniunto.

XII.

Ne quis, nisi per portas, Urbem ingreditor, neve egreditor. Mœnia sacrosancta sunto.

XIII.

Mulier Viro legitimè conjuncta, fortunarum & sacrorum socia illi esto: utq; domûs ille dominus, ita hæc domina.

XIV.

Filia uti Patri, ita defuncto Viro heres esto.

XV.

Adulterij convictam Vir & Cognati, uti volent, necanto.

XVI.

Si vinum biberit, domi ut adulteram puniunto.

Paren-

XVII.

Parentum liberos omne jus esto relegandi, vendendi, & occidendi.

XVIII.

Monstrosos partus sine fraude cædunto.

De his videantur FRANCISCI BALDUINI ICti libri duo in Leges Romuli & LL. XII. Tab. quibus fontes Juris Civilis explicantur.

His artibus sacerdotem Iustitiæ se profitetur princeps, & veram non simulatam Philosophiam affectat. Sic etiam apud inferos judicio Virgilii:

Quæsitor Minas urnam movet; ille silentum
Conciliumq; vocat, vitasq; & crimina discit. 6. Æn.

Et apiculæ,

—— *magnis agitant sub legibus ævum.*

Atque has superiores artes Virgilius his versibus comprehendit:

——— *Æneas Urbem designat aratro* 5. Æn.
Sortiturq; domos: hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Esse jubet. gaudet regno Trojanus Acestes,
Indicitq; forum & Patribus dat jura vocatis
Tunc vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Ars VIII.

1. 8. *Venerabiles insignibus imperij faciendo.*

IVra dare litigantibus, & recta atque utilia præscribere facilè possunt omnes, etiam qui naturali aliquo saltem igniculo prædíti sunt absque doctrina: sed jura dare ita ut litigantes ea observent, & se dirimi patiantur, iisque acquiescant, hoc opus, hic labor est. Potissimum tamen *in consensu obœdientium vis imperij omnis consistit*: Consensus præter alia etiam ex authoritate oritur, quæ maximam partem ab hominum opinione, rarò à judicio & veritate dependet. Ideóque non solùm agreste genus hominum, sed plerique omnes externâ illâ specie moventur, quâ Reges magnificè
Flor. incedunt *imperij sui insignibus tanquam secretis quibusdam imperij pignoribus decorati*, atque ita venerabiliores & habitu præter cæteros augustiores apparent. Tum demum rata & sancta sunt omnia quæ agunt, adeò ut qui insignia habeat, etiam

etiam imperium habeat, & cum insignibus magistratus deponantur. Et detracta insignia sint deformatio Magistratûs. Ita Valerius Cos. cùm summissis fascibus in concionem ascendisset, gratum id multitudini spectaculum fuit, summissa sibi esse imperii insignia, confessionemque factam Populi quàm consulis majestatem vimque majorem esse. Sunt autem *insignia triplicia: fortunæ, honorum & Virtutis*; quorum postrema decora fuerunt in præmium data rebus præclarè gestis, de quibus infra arte. 27. Honorum insignia Romulus & sequentes eum Reges hæc ita usurpabant; ut cum trabeâ & lictoribus prodirent & regiâ sede sedentes lites discernerent & jura darent, septi trecentis armatis juvenibus. Trabea autem videtur cætero habitu augustior ex purpurâ albo infectâ stola. Fasces non ferebat Rex ipse, sed ferendos lictoribus præeuntibus committebat, cujus ratio in sequenti exponetur. Fasces autem & *secures* Cicero svadet ut *majora dignitatis insignia sint*,

quàm potestatis, & potiùs dignitatem & authoritatẽ Magistratûs augeant, quàm timorem civibus incutiant. Sedes regia in tr. de ritu session. describitur.

De corona & sceptro, quæ Hopperus annumerat non satis liquet.

Fortunæ coronis non semper credendum esse monet Petronianus ille, quia eas etiam ad imperitos deferre gratia soleat. Quantum verò insignia authoritatis conferant, videre licet in *Pyrrho*, ad quem cùm deficere vellent *Demetrij* milites, atque ille tùm fortè cassidem deposuerat, non agnitum circumspiciebant ac quærebant: ille re intellectâ impositâ capiti casside cristis insignibus & cornibus hircinis agnoscendum se præbuit: ac dum demum secuta est Macedonum defectio. Grato enim & jucundo introitu animis hominum illabitur admirationis Majestas etiam in prætexta velata constituta, quam rectè quis dixerit, *longum & beatum honorem sine onere*, sicut ille affirmat, *majestatem imperij*

Plut.

Curt. 8.

perij esse salutis tutelam. Hodiè hæc ars magnificè incedendi notissima est & multorum thesauros exhaurit.

Ipse Quirinali lituo parvâq; sedebat
Succinctus trabeâ, lævâq; ancile gerebat,
Picus eqvûm domitor.

ARS IX.

Duodecim lictores sumendo.

PArum est, latam esse sententiam, nisi executioni etiam manu militari officio judicis mandetur, & insignia absq; re signatâ ostentationes vanæ sunt & quasi tintinnabula sine pistillo, quæque magis invidiam, quàm reverentiam in aspectante pariant. Veruntamen rex ipse neque executor neq; spectator executionis esse potest, ne cum Augusto à Mecœnate notari & Carnifex dici mereatur, qui capitalibus judiciis interesse & criminalia judicia exercere sustineret. Vitium sanè Tiberii maximum notat Tacitus, quod, *nec Patrum cognitionibus satiatus, judiciis adsidebat; sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur.*

l. 8. l. 68. De rei vind.

Sen. de ira.

Ideóque rectè *Romulus* trabeam gerebat, fasces autem *lictoribus* gerendos committebat, eosque executores constituebat, qui post sententiam inter partes, auditâ & excussâ lite, prolatam, rei judicatæ vigorem ad effectum adducerent. Meri tamen executores sunt, nec possunt subire vicem judicis: ideóque antiquitus ab officialibus illis, quorum manu Iudex nocentes punit, cùm reo gladius immineret, clarè pronunciabitur: *obtempera Legis arbitrio*; vel *Legem imple*, ut & rei tristitiam mitigaret mansvetudo verborum, & profiterentur simul, ad officium suum pertinere ferire, non nisi quos Lex & sententia Iudicis judicat feriendos. Inde Cicero dum Q. fratrem instruit, *Accensum non armandum multâ authoritate* censet, sed propè servi loco habendum ut quàm minimũ potestatis obtineat in provinciales. Sit lictor, inquit, non suæ sed tuæ lenitatis apparitor. Et expresè Impp. rescribunt ut *apparitorum æmulatione secreta falcem non mittant in alienam messem*. Neque equi-

l. 6. l. 8. De execut. rei jud.

Ioh. Sarisb. 4. Pol. 2.

l. 1. C. de app. præf. an non.

equidem cum Cicerone puto superbissimi Regis ista cruciatus fuisse carmina, cùm sententia definitiva proferebatur: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito*: sed carmen seu formula solennis fuit, quo non Tarquinius, non alius Regum, sed qui de perduellione judicabant, uti consveverant. Certè Tullus cùm Horatius sororem transfixisset, ne ipse tam tristis ingratique ad vulgus Iudicii auctor esset, Duumviros, qui secundùm legem judicarent, fecit, atq; eos sententiam capitis in Horatium sororicidam proferre voluit. Vt ita facti quæstio sit in arbitrio judicantis, pœnæ verò persecutio non ejus voluntati mandetur sed legis authoritati reservata videatur. *l. 1. §. 4. D. ad SC. Turpill.*

Artem hanc lenitatis dixerim ut cum Cajo malit, Princeps literas nescire, quàm neci subscribere. Quod repræsentat Virgilius, dum Iunonem substituere sibi facit Alecto his verbis:

Hunc mihi da proprium virgo sata nocte laborem,
Hanc operam, ne noster honos, infractave cedat

Fama loco. — tuus ô Regina quod optes
Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.

ARS X.

1. 8. *Augendæ multitudini Asylum aperiendo.*

INterim dum Romulus regnum sibi firmat, non pendent opera interrupta, sed cœptæ assurgunt turres atq; arma juventus. Exercet portusque aut propugnacula bello Tuta parant: Adeóque urbs condi cœpta crescebat munitionibus, cùm alia atque alia appetendo loca, in spem magis futuræ multitudinis, quàm ad id quod tum hominum erat, munirent. Deinde ne vana urbis magnitudo esset, adjiciendæ multitudinis caussâ *Romulus Asylum* aperit: Eò ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit; idque primum
Flor. ad cœptam magnitudinem roboris fuit, ex variis quasi elementis congregatum corpus unum. Et hoc vetus esse *Livius* affirmat consilium urbes condentium, qui

qui obſcuram atque humilem concien-do ad ſe multitudinem natam è terra ſibi prolem ementiebantur. Ovidius ex for-micis fingit natos cives Æaco. Virgi-lius ex truncis & lapidibus: 7. Met.

Gensq; virûm truncis & duro robore nata 8. Æn.
Queis neq; mos neq; cultus erat
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem, 1. Georg.
Unde homines nati durum genus.

Non ſolùm enim numerum complen-dum cenſet Xenophon, ſed videndum etiam ne jam antè collectę copiæ minu-antur. Quippe ſi non accedant ad prio-res alii, pauciores ſemper evadent, aliis ob ſenectutem abdicatis, aliis alia de cauſſa deficientibus, ſicut boni patres-familias ſolent *ex adgnatis gregē ſupplere*, id eſt, in locum capitum defunctorum pecora ſummittere. Meritò itaque im-probatur ille Lycurgi rigor, qui nullo habito diſcrimine peregrinos omnes à mœnibus & littoribus arcebat, quaſi qui mores civium tantùm corrumperent, non etiam emollirent & commerciis di-tiores, conſvetudine prudentiores, mul- in Hippar. l. 68. §. 1. De uſu-fruct.

titudine potentiores facerent. Et quid Lycurgi Rempub. adeò imbecillem & paucorum quaſi annorum reddidit, niſi quòd Civium indigenarum tanta inopia fuerit, ut clade ſemel inſigni acceptâ non potuerit reſtaurari? Auream potiùs audimus *D. Hadriani* ſententiam, qua *ampliari hominum adjectione Imperium, quàm pecuniarũ copiâ maluit.* Vnde factũ eſt, quòd Antonini conſtitutione omnes qui in orbe Romano ſunt, cives Romani effecti ſint: Ex multitudine enim populi apparet magnitudo regis. Quod ſi quis adeò faſtidioſus ſit, ut Romuli fucum à luce Reipub. rejiciat, ſciat aut cum *Platone ideam* abſolutorum Civium ſe fingere, aut neceſſe eſſe, ut ſi non omnem potiſſimam tamen Civium partem è ſua Repub. expellat, qui niſi ſub Legum coërcitione quaſi freno quodam regantur, nunquam non ſuas nequitias ſint prodituri. Vetus itaque hoc conſilium non contemnendum eſt ſive Aſylum velis aperire, ſive ſervos ad libertatem vocare, cum hoc tamen moderamine

l. 7. §. De bon. damn.

l. 17. De ſtat. homin.

Prov. 14.

mine quod Rutilius expressit:

Relligiosa patet peregrinæ Curia laudi.
Nec putat externos, quos decet esse, suos.

Sicut *Aristoteles* non vult autor esse, ut urbs nimis vicina mari aut magno flumini sit, ne facilè possit compleri peregrinorum hominum colluvie, qui dicerent, hæc nostra sunt, veteres migrate coloni, cujus rei exemplum refert. Cùm paullatim à *Caroli Magni* ætate servitutes tollerentur, non tam ad *Christi* fidem conversos libertas sera respexit, quàm quòd jus servitutis christianæ Reipub. impedimentum, libertas verò ejus augendæ incrementum videbatur. Quod etiam impuri Turcæ observant, quando legem Mahometanam sequentes omnes libertatis pileo insigniunt. Et quid absurdi faciunt hodiè qui propter religionem in exilium ejectos benignè fovent ac recipiunt? Quin imò & *Judæos in iis solis sine molestia* [illegible]*e jubent leges, per quæ cultus inquinari videtur.* Adjicio & hoc, quòd *Spiritus Sanctus* civitatis nomine ecclesiam designat, in quam pœnitentes omnes

7. pol. 6.

Livius. 4. 37.

l. 15. §. 6. De excus.

omnes confugiunt & recipiuntur ſub tutelam inviolati Aſyli,etiamſi cum *Davide* homicidia & adulteria commiſerint, aut cum *latrone* tulerint quod facta
1. Sam. 22. cujusque meruerunt. Sic ad Davidem congregaverunt ſe quilibet preſſus anguſtiâ & cuicunque erat exactor & quisquis amaro erat animo,ut eſſet ipſis præfectus. In condenda itaque urbe & rectâ conſtituendâ Aſylum aperiri poterit: Quamvis in conditâ & rectâ conſtitutâ non aliter ac Iani templum occludatur: & hoc regiæ artis documentum ſingulare eſto, quod Virgiliana illa approbat;

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco,
Urbem quam ſtatuo veſtra eſt, ſubducite naves.

Ars XI.

1. 8. *Senatores Creando.*

HActenus quidem Romulus materiam urbis & corpus ipſum produxit, cui etiam caput impoſuerat,nunc formam introducit & animam Reipub. quæ in ſenatu potiſſimùm conſiſtit, & ordi-

ordinatis consiliis. Cùm enim jam virium haud pœniteret; sine discrimine tamen liberi & servi essent, qui boni neque viri neque cives erant, & illa pastorum convenarumque plebs transfuga ex suis populis sub tutela inviolati templi aut libertatem aut certè impunitatem speraret; Consilium viribus parat Romulus, centum creat senatores, qui cùm ipse omnibus superesse non posset, (sicut & *Moyses* non solus erat sustinendo populo) essent quasi patroni & defensores multitudinis, atque interim sub ea specie regerent, observarent ac corrigerent singulos. Nam bonis legibus etiam pessimi emendantur, & *per eos qui judicant, effectus rei accipitur*: quantum est enim jus in Civitate esse, nisi sint qui jura regere possint? Sanè consilium in principe & civitate tam necessarium est, quàm ratio & mens in corpore. Rectè igitur *Plutarchus* cùm optimam Reipub. formam Discipulo suo *Trajano* præscriberet, principem in capite, senatum in corde collocavit: illum quidem quòd supre-

l. 2. § 13. De orig. jur.

ſupremus ſit & uni DEO ſubjectus,hunc quòd ſicut in humano corpore caput ab anima vegetatur & regitur, ſic à ſenatu bonorum & malorum operum procedunt initia, tanquam penes quem conſiliorum & omnium publicè gerendorum conſiſtit authoritas. Inde Impp. humanum eſſe probant, ſi quid de cætero in publica privataque cauſſa emerſerit neceſſarium, id ab omnibus antea tam proceribus Palatii, quàm glorioſiſſimo cœtu Patrum Conſcriptorum tractari, ut univerſorum conſenſus regiæ ſerenitatis authoritate firmetur. *Senatores* autem *à ſenio* & ſenectute dicuntur, quia ſemper in civitate venerabilis ſit ſenectus, & ſenibus idem honos tribuatur, qui magiſtratibus. Ita *Lacedæmonÿ* ſenes eos appellaverunt, qui ſummum quendam magiſtratum gerebant. Quia tamen centum Romulus creavit ſenatores, ſive quia is numerus ſatis erat, ſive quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent, vero ſimile eſt, non vulgariter creatos Senes concionales præmortui pudo-

l. 8. C. de LL.

l. 5. in pr. De jur. immu.

pudoris, quorum non animus consenuit, sed saltem

Temporibus geminis canebat sparsa senectus,

& præter annos nihil præcipui habebant. Verùm eos qui experientiâ suâ consiliis salutaribus Regi adesse possent, sive *plurima mento*

Canities inculta jaceret,

sive propter invaletudinem oculorum diu à consiliis publicis abstinuerint ut Ap. Claudius, sive etiam

antè annos animumq; gerant curamq; virilem,

ut veniam ætatis cum Scipione mereantur. Horum & similium Romulus centum elegit. Tullus ex patritiis Albanis itidem C. allegat & Tarquinius Priscus C. aliis ampliavit Senatus majestatem. Hæc omnium artium maximè regia est & necessaria ut constituantur senatores:

Quos pater Æneas

Rectores juvenum & rerum dedit esse magistros. 9. Æn.

Ars XII.

Connubia cum finitimis jungendo. 1. 9.

NOn ita ineptus est *Romulus* ut hactenus tam probè in Repub. conforma-

formatam defleat cum Xerxe multitudinem, quòd unius saltem hominis ætatem duratura sit, & intra centum annos nemo unus ex iis sit superfuturus. Sanè ubi penuria mulierum est, ut tum Romæ accidit, & cum finitimis nulla connubia sunt, domi nulla spes prolis esse potest; ex prole autem & sobole tanquam seminario quodam perpetuitas & immortalitas artificiosè introducitur. Natura enim nos docuit filios filiásve concipere & edere, ut ex prole eorum earumvé diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus. Et nostris videtur Legibus unam quodammodò esse personam heredis & ejus, qui in eum transmittit hereditatem. Quin nec continuari patris possessio in filio, sed ipsius filii dicitur, qui eam retinet, non acquirit de novo. Sapienter itaque fecit Romulus, qui ex consilio patrum Legatos circa vicinas gentes misit, ut societatem connubiumque peterent novo populo, ut cùm nusquam benignè audita legatio esset, dissimulato dolore, ac finiti-

Nov. 22. c. 26. Nov. 48. in pr. l. 220. De V. S.

finitimis indicto spectaculo cùm multi mortales convenirent cum liberis, ex composito juventutem Romanam ad rapiendas virgines discurrere permisit. Nam *civilium officiorum vel potissimum* esse videtur, *mutuas inter homines conciliare amicitias*, quarum maximè naturalis est inter marem & fœminam societas. Et in cæteris quidem animantibus appetitus sine ratione tantùm procreandæ sobolis existit: in mansvetioribus ad perfectionem omnia tendunt, apparentque mutua benevolentiæ & laborum adjumenta, quod in hominum genere evidentiùs ad beatitudinem seu fruitionem & participationem summi boni directum est. Vsu ergò venit ut fœminas appetant viri instigante naturâ, quæ non nisi ex masculo & fœmella trahere ortus suos animantes perfectiores voluit, & sic uxores ducimus non solùm διὰ τὸ εἶναι, sed & διὰ τὸ εὖ εἶναι, non solùm propter specierum perpetuationem, sed etiam quòd alterum propter alterum rectiùs se habere videtur, in individua

Arist. 7. Eude. I.

vitæ consvetudine. Ex illo enim unionis affectu amor nascitur, qui mirum quantum svavitatis habeat ad voluntatum conjunctionem! Quod enim majus animorum pignus, quàm societas omnium fortunarum? quod charius humano generi opus, quàm communes liberi? quæ præsentior amicitia quàm soceri ac generi, socrus ac nurus? nec mediocre vinculum est ad voluntates copulandas, si blanda affinium nomina exaudiantur. Atque hîc fœminarum usus evidens, in quibus non frustrà affectionum pignora certiora & firmiora esse Augustus docuit; qui novum genus obsidum fœminas exegit, quòd negligi marium pignora sentiebat: Et *Germani* sanctiorem arctioremque hunc cum fœminis nexum arbitrabantur, tanquam quæ animum firmiùs & domum latiùs teneant. Sed *raptis sine more Sabinis*; videtur Romulus adversus bonos mores fecisse, qui raptum hunc permiserit, nisi & hominum sit cum hominibus sanguinem ac genus velle miscere, & civium connubia petere;

l.1. De act. rer. amot.

Suet. c.21.

Tacit.

tere; barbarorum ſuperbè recuſare & legatos ſine cauſſa non benignè audire; Romanum, uti etiam aliarum gentium inferiorum prærogativâ. Quid enim alii digniores conjugio Sabinarum præ Romanis; cùm natura inter nos cognationem quandam conſtituerit,& hoc jure omnes utantur, ut liberi invicem ἐπιγαμίαις παραλλήλαις deſpondeantur? Hîc ars naturam imitatur ac ſupplet: quod præſcribit Virgil.

Intereà ſuperat dum læta juventus 4. Georg.
Solve mares,
Atq; aliam ex aliâ generando ſuffice prolem,
Semper enim refice, ac nè pòſt amiſſa requiras
Anteveni, & ſobolem ſortire quotannis.

Ars XIII.

Matrimonium omnium fortunarum ſocietatem inſtituendò. 1. 9.

Ariſtotelem nonnulli reprehendunt, quòd educationem & inſtitutionem liberorum in calcem ſuorum Politicorum rejecerit, cùm liberi ſeminarium ſint totius Reipub. propagandæ;

sed ab aliis, tùm à *Scherbio* satis responsi habent, qui satagunt. Nobis exinde etiam defendendus videtur Romulus, quòd de nuptiis & consvetudine virorum cum fœminis agens, Legem eam hucusque perferre distulerit, cùm ab eâ initium esset faciendum, siquidem ipsa Natura inde vitam nostram conciliat. Sed cum *Hesiodo* maluit sapientissimus Rex priùs domum constituere, deinde bovem comparare, tandem ad uxorem animum appellere. Non enim frustrà Tragicus exclamat:

ὦ τρὶς κακοδαίμων, ὅστις ὢν πένης γαμεῖ,
καὶ παιδοποιεῖ!

Et absurdum visum fuit Romulo Vrbe recens conditâ ante Civitatis statum rectè atque ordine constitutum nuptias inter suos primo statim anno conglutinare, sed distulit id omne usque in quartum annum, cùm jam parata essent omnia ad deducendas ac sustentandas novas nuptas. Planè quemadmodum DEI Opt. Max. providentiam in hoc unicè deprehendimus, quòd omnia

priùs

priùs ex nihilo creare & ad consummationem perducere voluit, quàm aut hominem crearet, aut hominis adjutricem fœminam, quæ ultima omnium creaturarum fuit. Iam itaque hanc legem fert Romulus, ut mulier nupta, quæ ex sacratis legibus in manum mariti convenisset, cum eo omnium & bonorum & sacrorum particeps sit; quod nihil aliud est, quàm ut sint duo in carne unâ, quò ICti intendunt, cùm dicunt: *Nuptias seu matrimonium esse viri & mulieris conjunctionem, individuam vitæ consvetudinem continentem.* Et hic contractus est inter omnes saluberrimus, quo solo humanum genus pulchro conservatur ordine & propagatur: ac proinde nulla res est, in quam Legumlatores tam liberaliter juris singularis beneficia contulerint, atque hæc matrimonialis, cui planè nihil obstare voluerunt ad replendas Civitates liberis hominibus. Inde *turpis actio adversus uxorem negatur*, quia societas vitæ quodammodo dominam eam facit. Quòd verò matrimonium

Halicar. lib. 2.

l. 2. De act. rer. amot.

ſocietatem omnium fortunarum viro & fœminæ conciliat, à fœminâ tamen nomen habet, quæ propterea nubit, ut mater fiat; datum videtur laboribus, quos in partu mulier ſuſtinet, qui tales ſunt, ut *malle ſe*, affirmet quædam, *ter ſub clypeo conſiſtere, quàm ſemel parere.* Interim ſocietas illa efficit, ut vir præter mulierem, & mulier præter virum nihil norit melius, & uterque leges modeſtiæ ac pudicitiæ non egrediatur neceſſario conjugii inſeparabilis vinculo conjuncti. Hæc res cogit mulieres, cùm nullum aliud refugium habeant, ad unius mariti mores vitam conformare; & ipſos etiam maritos, ut rem neceſſariam & à quâ nullo modo divelli poſſunt, uxorem retinere tanquam familiæ dominam & heredem. Si enim ſine liberis inteſtatus quis obiret, uxor erat omnium bonorum domina: ſin liberos haberet, ex æquo bonorum erat particeps. In malos itaque mores poſt ſerò introductum divortium invehitur Plautina illa, dum lege durâ vivere, multoque iniqui-

in Mercat. f. 4. ſc. 6.

iniquiore mulieres quàm viros conqueritur, quod Cato & Plutarchus approbant, ut ex sententiâ definitivâ Servatoris nostri dicere liceat: *ab initio non erat sic.*

Nam uxor contenta est, quæ bona est, uno viro;
Quî minùs vir unâ uxore contentus fiet?

Quamvis autem pœna adulterii ex l. Iulia sera fuerit, & in relegatione acquieverit, nec certum sit quo tempore capitalis esse cœperit, cùm varia ex historiâ veteri sint exempla, nec ea omnia à lege, sed à clementiâ quædam, quædam à severitate: exemplo tamen Romuli, ne familiarum semina confunderentur, Imp. Alexander societatem matrimonii sacrosanctam voluit, & capitale adulterium effecit, sublatis privatorum cognitionibus. *l. 9. C. ad l. Iul. de adult.*

Hortor amare focos, arcemq; attollere tectis,
Iamq; ferè sicco subductæ littore puppes
Connubiis, arvisq; novis operata juventus,
Iura domosq; dabam. *Virg. 3. Æn.*

Ars XIV.

l. 13. *Regno Romano & Sabino consociato, imperium omne Romam conferendo.*

EX injuria raptarum mulierum Sabinarum ortum erat bellum: sed illæ crinibus passis, scissâq; veste, victo malis muliebri pavore, ausæ se inter tela volantia inferre, diremerunt infestas acies, & moverunt cùm multitudinem tùm duces ipsos, ut silentio & repentinâ factâ quiete ad fœdus faciendum duces prodirent, nec pacem modò sed & civitatem unam ex duabus facerent, regnum consociarent, imperium omne conferrent Romam. Exinde videre est non idæam quandam fuisse Romuli regnum, quod extra omnem adversitatem constitutum fuerit, sed Romani in eas difficultates à Sabinis redacti erant, ut cum hostibus pacisci cogerentur. Accidit itaque Romulo quod persæpè sapientissimis Viris usu venit, ut quemadmodum gubernatores optimi vim tempesta-

pestatis, sic illi fortunæ impetum superare non possint, sed cùm diu imperarint, servire tempori & summæ necessitati cum Arato videantur. Cogitur Romulus admittere Tatium in regni societatem, quæ quàm infida sit, suprà demonstratum est. Conversis ergo rebus, temporibus assentitur, & quem portum rectà tenere nequit, mutatâ paullum velificatione assequi studet. Quamvis enim admittendus erat *Tatius* ad clavum imperii, non tamen domum suam abiit *Romulus*, nec arma ante ædes posuit, quod *Solon* fecit, cùm omni destitutus auxilio, *sat*, inquit, *patriæ & legibus opitulatus fui*: & *Latinus*, *ubi nulla datur cæcum exuperare potestas consilium, & sæva nutu Junonis eunt res, sepsit se tectis rerumq; reliquit habenas.* Sed omne Ius imperii curat Romam conferri, ubi ipse primas obtinebat, & quidquid agendum erat, Romæ agebatur. Consilium enim Hersiliæ de consociandis Romuli & Tatii regnis sequi cogebatur, cujus hæc erat sententia: secundùm Ennium.

Cic. ad Lent. ep. 9.

7. Æn.

Alternâ sciscite die concorditer ambo.

Id est, ut alternis sciscerent seu decernerent & alternis vicibus imperarent. Ita *Tatio* frenum imponitur, ne si omninò par esse Romulo cœpisset, continuò superior esse posset. Hîc erit artis opus si status Reipubl. corruptus sit ut feras quem mutare nequeas. Quod *Demades* dixit, se naufragia Reipub. gubernare. *Plut. in ejus Vita.* Vtcunque in alto ventus est exin velum vertitur. Sertorius, cùm indignarentur quidam eum tanquam Proconf. Romanum barbaris Hispanis stipendiarum esse, tempus, inquit, redimo, quo nihil charius homini magna affectanti.

4. *Aen.* *Communem hunc ergo populum paribusq; regamus auspiciis.*

1. *Georg.* *Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,*
Alternis facilis labor.

Ars XV.

1. 13. *Populum in curias dividendo.*

GEminatâ jam urbe, *Romulus populum in partes triginta dividit*, primò quidem ordinis gratiâ, ubi enim non est ordo,

ordo, ibi confusio est, quæ à benè constitutâ Repub. longè absit. Deinde curæ gratiâ, ut & ipse videretur singularum Vrbis partium curam gerere, & à præfectis seu Senatoribus quælibet rectè curarentur. *Cura* enim vox Sabina est, teste *Scaligero*: Quirites dixit plebem Romulus, se Quirinum, Senatum Curiam, omnes eodem vocabulo, vario flexu, inde curiosus dictus, qui satageret Senatus consultorum, simul curæ nomen derivatum, quâ diligentiores patres vocarentur, tanquam quibus sit imposita, si quid in leges committatur, inquirendi cura. Vnde & illi curiosi qui in comitatu præsidum admissa per provincias renunciabant, qui delatoriâ curiositate, quid agatur, debebant indagare & velle profutura Reipub. Tertiò in curias divisus est populus sententiæ exquirendæ caussâ, quod tunc Reipub. cura per sententias partium earum expediebatur. Non enim dedecori est Regi vota suorum accuratè novisse & colligere, etsi non semper se iis obsequentem præbeat,

tt. C. de curios. & stat.

beat, quod in Pompejò alibi reprehenditur. Interim *prohibendarum factionum causa de providentia constet, ac modestiâ publicâ,* ne civitas in partes scindatur, quæ res facilè comitia, concilia, curias, conciones inquietaret. Imperium nostrum in tria membra non frustra divisum est, ut caput & princeps sit *Imperator*, quem seqvuntur *Electores ac Principes:* tertium membrum civitates liberæ constituunt. Sed communia quidem consilia constituta sunt singula in singulis X. circulis, in quibus deliberationes habentur de ordinanda re bellica, & modo executionis, auxiliisque manu armatâ expediendis: Cæterùm de bello paceque ac cæteris eò spectantibus agitur in Comitiis ordinum, ubi dignitatis gradus & suffragiorum prærogativæ obtinent. Decor autem & gloria Sacrosancti Imperii Rom. & honor Cæsareus & Reip. grata compendia Principum Electorum concordi voluntate foventur, qui velut columnæ proceres sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ solerti pietate susten-

Tertull. adv. gent.

sustentant. Porrò & Neapolitana urbs in quinque divisa est partes; quæ à sedilibus singulorum civibus ad conventus deputatis seggia appellantur. Et in omnibus benè constitutis Rebusp. mos est ut Tribuni eligantur, die Zunfftmeister / per quorum curas ac sententias de totâ Repub. Senatui constat. Hac divisione efficitur, ut magna civitas quasi minima domus regatur, quemadmodum Lacedæmonii ita exactè divisi erant, ut jussa Impp. brevi spacio ad singulos deferri possent. Adeóque & hîc Ars naturam imitatur, quæ nihil vel meditata est vel effecit sine ordine, quod in apibus videre est: *Barth. Facio 9. Hist.* *Thucid. 5.*

Namq; aliæ victu invigilant & fœdere pacto *4 Georg.*
Exercentur agris, pars intra septa domorum
Prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suspendunt ceras, aliæ spem gentis adultos
Educant fœtus.
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti
Munere quamq; suo.

XVI. *Cen-*

ARS XVI.

Centuras equitum conscribendo.

I. 13. IAm dispositi & in ordinem redacti erant Cives, ut tempore pacis & belli facilè eos convocare, sub signis continere, & in suam quemq; stationem collocare extemplò Romulus posset. Verùm cùm hactenus circum ipsam matrem suam cum finitimis luctati essent, hoc est, in sinu quasi matris circum murana tantùm bella cum finitimis, pro ut proximum quemq; fors obtulerat, gessissent, vellentque ulteriùs progredi, animadvertit Rex sapientissimus statum Reip. se imposuisse si juvent⁹ divisa per tribus in equis & armis ad subita belli excubaret. Equitem autem maximè suis viribus deesse norat. Equitum ergo centurias tres conscripsit: eum secutus *Tullus* traductis Romam Albanis, ut omnium ordinum viribus aliquid ex novo populo adjiceretur, Equitum decem turmas ex Albanis legit. *Tarquinius Priscus* de equitum quidem centuriis nihil mutavit, numero

mero alterum tantùm adjecit, ut mille & trecenti Equites in tribus centuriis essent. Inde cùm duo ordines plebis & Senatûs Romæ à principio editi fuissent, equester ordo, qui medium teneret locum, postea adjectus est, cui jus annulorum aureorum, quo insigni à plebe secernebantur, publicè tributum fuit. Certum itaque est jam inde ab initio aut pedestrem aut equestrem usui fuisse exercitum, & ferè alterum ab altero vix sejungi posse, nisi in locis & campis pa- 21. 47.
tentibus, ubi non apti sunt pedites, ubiq; immane quantum gentibus formidata fuerit equitatus Persici fortitudo; aut locis montuosis, ubi colles equiti impeditiores sunt. Quo respectu *Polybius* & *Vegetius* facilè conciliari poterunt, quando ille Equites peditibus præfert; hic ad pedes ferè ex equis desilit. Quin verò pedites non nisi pedites pugnare possunt: equites ex equo pugnant, modò irruentes, modò se recipientes, & si res poscat, ad pedes descendunt, & utroq; 4. 38.
modo viros se præstant. Vnde Romani 7. 8.
equi-

equites si neq; equis pepulissent hostem, neque pedites quicquam momenti facerent, negant se tertiam posse expectare Comin. 1. com. pugnam. Mandato *Caroli Burgundiaci* ex nobilitate complures relictis equis conjungebant se peditibus, quod & honorificum erat, & reliquis addebat animum, eumque morem acceperant Burgundiones ab Anglis. Arte igitur supplenda sunt quæ naturâ desunt:

Æquus uterq; labor, æquè juvenemq; magistri
Exquirunt, calidumq; animis & cursibus acrem:
Sin ad bella magis studium, turmasq; feroces;
3. Georg. *Primus equi labor est, animos atq; arma videre*
Bellantum, lituosq; pati.

Ars XVII.

1. 15. *Trecentos armatos ad custodiam corporis habendo.*

Vulgò omnes passim volunt, Regna non adamantinis vinculis vi & metu servari, sed benevolentiâ subditorum, quæ optima sit custodia, ad regni perpetuitatem, & satellitum turbam, arcis justitium triste tyrannicæ, ut *Prudentius*

ditius canit, adeo invidiosa res est, ut ad summum eorum usus sit in bello; pacis tempore eos dilabi & armis abjectis civibus se miscere jubeant, aut quod Græci quondam milites in Chio Insula excercuerunt opificium, per agros mercenariam locando operam victum sibi quærere cogant. Verumenimverò Principum conditionem non frustra miserrimam pronunciavit *Domitianus Imp.* quod de conjuratione compertâ non credatur nisi occisis, seu ut *Perseus* loquitur, quando non creditur, nisi perpetratum facinus. Itaque Romulus memor quid in se negotii susceperit, quibus imperet quàm fluxa sit fides, quòd homines faciliùs non possint opprimi quàm inter vescendum, bibendum, lavandum, in cubili & somno, Cyri sapientissimi exemplo trecentos armatos ad custodiam corporis non in bello solùm, sed etiam in pace habet, & venerabilem se iis cum lictoribus sumtis facit. Quam rem inter regni jura enumerat in sacris Samuel, & statione militum vim ac speciem domi-

Xenoph. 2. hist.

Svet. c. 21. Iul. Capitol. in Avidio Cass. f. 153. 40. 9.

Xenoph. 7. Cyr.

in Tib. 24. nationis assumi Svetonius affirmat. Et sanè si quisquam vix invenitur qui possit aperto vivere ostio; Imperatori suo quis Ianitorem appositum non ferat? annon indignamur obvios quosq; vel salutandi gratia nos accedere, & principem nostrum patiemur ab omnibus circumfundi, premi, trudi, trahi? à furibus omnes cavemus etiam cùm nullum novimus furem; quidni ab insidiantibus sibi caveat princeps, etsi nullos tales norit? caveat multos, qui singulos non timet, & multos habet inimicos, qui timorem multis incutit. Quin verò nullus unquam tam felix fuit Princeps, adversus quem nemo subditorum malè fuerit animatus: siquidem & Iuppiter ipse non omnibus placet, & sceleratorum facinora nunquam non erumpunt. Tu verò qui bonus es, quid metuis satellites principis tui laterones & cives, qui cum eo aut pro eo noctu diuque in excubiis undique circum regiam versantur & instructi pergunt in omnia, reliquis tecum civibus altum stertentibus? Romæ cùm habe-

haberetur senatus Cohortes præsidii loco habitæ sunt, quod non frustra *Livius* notavit, & morem eum retentum Cæsaris tempore *Svetonius* testatur. Ab hac igitur arte vita ac securitas jugiter profluit. Sic cum Latino præter satellites 5. 55.

—— gemini custodes limine ab alto 8. Æn.
Procedunt, gressumq; canes comitantur herilem.

ARS XVIII.

Consuli de se Deos, jubendo. 1. 18.

QVod supra Arte V. admonitum fuit de Romuli sacrificiis & quare ea tam ritè facta voluerit, non opus est hîc repetere. Istud advertendum, quòd etiam post legitimam Electionem non contemnenda sit solemnis inauguratio quam hodiè Coronationem vocant, more ab Ægyptiis deducto, qui potissimùm ex Sacerdotibus & Philosophis reges sibi constituebant: Quòd si ejus generis non esset, rex prophanus expiabatur sacrisque initiabatur. Inde accedente Populi consensu & voluntate, po-

tentia principum majorem authoritatem consequebatur. Ita Amulio interfecto cùm Romulus & Remus per mediam concionem ingressi, Avum regem salutassent, secuta, ex omni multitudine consentiens vox, ratum nomen imperiumque Numitori effecit. Quod nihil aliud est nisi solemnis inauguratio, quæ in præsentia omnium aut certè præstantissimorum Regem legitimũ testatur & primam ipsi autoritatem conciliat. Romulus ipse ac Remus, quoniam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset, constituerunt ut Dii quorum in tutela ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novæ urbi daret, & conditam imperio regeret, cumque Remo sex vultures, Romulo duplex numerus se ostendisset, utrumque Regem sua multitudo consalutavit, tempore illi præcepto, at hi numero avium regnum trahentes. *Numa ab augure* deductus in arcem, missis & peractis auspiciis declaratus Rex de templo descendit. *Tullum* Hostilium Regem populus jussit, Patres

auto-

autores facti: Idem in *Anco Martio* observatum est. *L. Tarquinius Priscus* primus & petiisse ambitiosè regnum & orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos compositam: itaq; quamvis ingenti consensu Populus Romanus eum regnare jussit, tamen inconsultis Diis & inauguratò hoc factum esse videtur, adeóque tandem insidiis periit. *Servius primus* injussu populi, voluntate patrum regnavit. De quo in Erroribus. Hæc autem ars stabile ac firmum regnum spondet principi, quod ad Ramum aureum refert Virgilius.

—— Ipse volens faciliśq; sequetur, 6. Æn.
Si te fata vocant, aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.

ARS XIX.

Fœderibus ac societate finitimos jungendo. 1. 19.

HActenus *Romulus*, qui & fœderibus & societate inter Romam & Lavinium renovatâ, induciisque cum finitimis factis *Numæ* feliciter præivit, atque

is regno potitus urbem novam conditam vi & armis, jure eam legibusque ac moribus de integro condere parat, quibus cùm inter bella assvescere videret non posse, *Jano* clauso omnium circa finitimorum societate ac fœderibus sibi jungit animos. Societatis usus est in commerciis & contractibus humanis prosequendis, quæ sunt juris gentium, eorumque origo pulcherrimè explicatur à *Ictis*. Qui ergò soli sunt & habitant seorsim, *ἀπρόσμικτοι ἐόντες τοῖσι ξείνοισι*, quod de Spartanis Herodotus scribit, societatis jure non fruuntur, & solitudinem colunt, cujus contubernalis est contumacia, & pedissequa interitus. Quod innuitur in sacris, ubi Viri Dan venerunt in Lais ad populum quiescentem atque securum & percusserunt eos in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præsidium, eò quòd procul habitarent, à Sidone & cum nullo hominum haberent quicquam societatis ac negotii. Societates ergò & fœdera faciunt ad securitatem

l. 1. De contrah. emt.

Iud. 18.

tatem in pace vivendi, in bello ad impetranda auxilia. Quin & *Cambyses* ut explorare Æthiopum regionem posset, misit legatos cum donis quasi societatem & amicitiam contracturus. *Astrubal* miræ artis fuit in sollicitandis gentibus Imperioque jungendis suo: adeóq; plura consilio quàm vi gerens, auspiciis regulorum magis, conciliandisq; per amicitiam principum novis gentibus, quàm bello aut armis rem Carthaginiensem auxit. Et quæ ulla Respub. quis ullus populus sibi soli potuit vivere, cùm ut suprà demonstratum est, nullus unus homo solus esse velit aut possit? Quòd verò Iudæis non licebat exteris & alienigenis admiscere sese, neque applicare se Vrbibus idolorum cultricibus; id decreto legis suæ singulari voluit DEUS, qui eos sibi elegerat & secreverat à reliquis populis in propriam gentem, cui benedicturus erat. *Petri Medicis* societas cum *Alphonso* inita omnium malorum seminarium ac principium fuisse dicitur imprimis, quia juvenili vanitate

Herod.

Lev. 20.

Gucciard. lib. 1.

rem cum optimatibus Civitatis non communicavit,& consilio,paternis consiliis prorsus adverso, inter socios principes non prudenter, ut tempora ferebant, agebat.

8. *Aen.* *—— —— prima per artem*
Tentamenta tui pepigi. Ergò
Castris adhibe socios & fœdera junge.

Ars XX.

1. 19. *Luxuriari animos otio non sinendo.*

OCcupatos aliquid agendo animos suorũ Romani habuerunt semper, ne nihil agendo malè agere discerent. *Romulus* metu hostiũ,disciplinaque militari suos continuerat: *Numa* positis externorũ periculorum curis, ne luxuriarentur otio animi à vi & armis conversi, Deorum assiduam curam ac metum injecit, sacra instituendo & homines in suos mores informando. *Tullus* senescere Civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quærebat. *Ancus Martius* sacra publica proponere in publico jubet, inde & civibus otii cupidis & finiti-

finitimis civitatibus facta spes, in avi mores atq; instituta regem abiturum: Sed præterquam quòd avi regno magis necessariam fuisse pacem credebat, etjam quod illi contigisset otium sine injuria id se haud facile habiturum, bellicas cæremonias prodidit, nec geri solùm, sed indici bella aliquo ritu voluit, & demandata cura sacrorum Flaminibus sacerdotibusq; exercitus conscripsit & Politorium urbem vi cepit. Tarquinius Priscus præter bella etiam muro lapideo circundare urbem parabat & ludos instructissimos faciebat. Procul dubio intelligebant, quod Ap. Claudius effatus est, *populo Rom. multò rectiùs negotium, quàm otium committi,* quia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitabatur, qui nimiâ quiete in desidiam resolveretur. Ita *Pericles* ne facultatem daret otio torpescendi Atheniensibus sexaginta triremes in alienas terras misit, ut stipendia illic mererentur, cùm patria pacata esset. In quem finem *Plato* & *Aristoteles* vigilijs detinendos Cives monent,

Val. Max. 7. c. 2.

Plut. in ejus vita.

3. de LL.

nent,ut veternus vitetur. Ad domesticum verò bellum evitandum nihil magis conducit, quàm si foris bellum geratur, & prudentissimi rerum semper censuêre, populis bellicosis hostem extra habendum, ne arma in se ipsos vertant. Thuan. *Colinius* asserit Gallis insitum esse, ut cùm hostem extra fines non habeant, in commilitones ac concives suos sæviant. Ergo

Instabiles animos ludo prohibebis inani.

ARS XXI.

1. 19. *Annum in menses describendo.*

NEminem plura vel meliora scire debere, quàm Principem verè admonent politici omnes. Ecce enim quantarum rerum, quàm exquisitissimam cognitionem desiderat forma Civitatis constituendæ! ut non frustra ad ideam principum fingendam confugerint omnes, qui de perfecto scriptitarunt, & tamen cum Diogenis laterna ab ortu ad ocasum obambulent sine successu. In Regibus Romanis videmus ad gubernan-

bernandæ Reipub prudentiam, ad morum & legum civilium peritiam, ad sacrorum omnium notitiam, etiam ædificandæ urbis, nominis imponendi, imò anni in menses describendi scientiam necessariam esse, & tantum non ad *Archimedis* circulos, scholamq; *Euclidis* perveniri. Certé in Geometricis occupati sunt, dum urbi condendæ, agro dividendo, circo designando, castrisq; & propugnaculis describendis operam dant: In Astrologicis versantur, dum diei noctisq; & mensis anniq; volutiones designant, itinerum & excubiarum intervalla discriminant & in usum suorum civium tempora distingunt. Nec satis esse videtur *Lucretio* ad summam Reipub. beatitudinem si præter leges omnia ad affluentiam adsint, quæ vel usus quotidianus ad victum necessaria flagitat vel per quæ vita tuta consistere, in quibus esse & per quæ esse solemus, potest, quamvis etiam divitijs, honoribus, laudibus affluant & pulchrâ prole superbiant cives: sed requirit etiam ut solatia dulcia vitæ super-

lib.6.

l.3.§.1. De penu legat.

ſuperſint, id eſt, ut nequa intra ſeſe quisq; ſtatim anxietate afficiatur & ſemet ipſum varijs terroribus torqueat aut etiam affectibus ſuccumbat, ſi naturæ ſpeciem ac curſum aut mutari aut corrumpi videat & cauſas non intelligat. Ideoq; ipſi opus eſſe videtur ad ſummum bonum ut quisq; etiam ſciat rerum omnium naturam & earum naturales mutationes, un-

l.1.§.2. De Cloacis. de nimirum calamitates mortalibus ingruant in natura, utrum id caſu an vi

l.13.§.6. De uſufr. quadam naturali fiat, ne diutius homi-

l.4.§.1. De cenſib. nes tanquam pueri ad quoscunq; caſus

Dio Caſſ. 38. expaveſcant; Quod Ciceroni in exilio obtigit, qui ingenuè fatetur, omnia nihil prodeſſe, ubi animo ægrè eſt, iſq; re aliquâ mordetur, inde Virgilius:

1. Georg.

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas
Atq; metus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumq; Acherontis avari.

Cæterum ſtatim in principio creationis ratio quædam Anni in menſes deſcribendi præſcripta eſt à DEO Opt. Max. quando dixit & facta ſunt luminaria in expanſo cœli ad diſtinctionem faciendam

ciendam inter diem & noctem, ut sint in signa cùm tempestatibus tùm diebus & annis. Ex hoc præscripto Adam anni formam instituit, quam ad posteros propagavit. Sethus ejus filius, duabus columnis eam cum cœteris artibus insculpendo. Inde post Patriarchas ac Pro- *Sap.* 7.
phetas Salomon norat dispositionem orbis terrarum, virtutes Elementorum, initium & consummationem ac medietatem temporum, anni cursus & stellarum dispositiones. *Pericles* jam instructâ *Plut.*
classe, cùm suam ipse triremem conscenderet, Solis deliquium accidit, tenebræq; obortæ in prodigium magnum tractæ omnium animos consternaverunt. Ibi prudens Dux cùm videret gubernatorem ingenti timore captum, anxiumq; animi, oculis ejus chlamydem prætendit, percontatusq; est, an horribile aliquid effectum aut portentum eo factũ putaret: neganti, At quid interest, ait, inter istas & has tenebras? nisi quòd majus est id, à quo illæ sunt inductæ. *Lib.* 44.
C. Sulpitius Gallus tribunus militum, 37.

Consu-

Conſulis permiſſu, ad concionem militibus vocatis pronunciavit: nocte proximâ, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda usq; ad quartam horam noctis lunam defecturam eſſe. Id quia naturali ordine ſtatis temporibus fiat, & ſciri antè & prædici poſſe. Itaq; quemadmodum, quia certi ſolis lunæq; & ortus & occaſus ſint nunc pleno orbe, nunc ſeneſcente exiguo cornu, fulgere lunam non mirarentur: ita ne obſcurari quidem, cùm condatur umbra terræ trahere in prodigium debere. Chriſtophori Columbi hiſtoria vulgò nota eſt. Iulius Cæſar ad ordinandum Reipub. ſtatum converſus primò omnium Faſtos correxit, annumq; ad curſum ſolis accomodavit eâ forma, quam adhuc in orbe Chriſtiano retinemus. Canon etiam Concilij Niceni de feſto paſchæ communi Cæſaris CONSTANTINI & patrum conſilio conditus eſt. Ita *Carolus Magnus* imperij germanici conditor & calendarium ipſum & menſium nomina germanicâ nobis Germanis dedit. Adeoq;

deoq; cùm hæc res tanquam regale quoddam ad Reges & Impp. pertineat, factum est ut novum Calendarium Gregorianum Divo Rudolpho II. oblatum in Comitijs Augustanis Anni M. D. LXXXII. eo anno non reciperetur, sed in Cameræ judicio vetus & usitata Calendarij forma retineretur: Quanquam ne nunc quidem *Electores orthodoxi* & reliqui Principes ac civitates ejus rationem habeant, cùm Reges sint & Domini suorum territoriorum, nullamq; Papæ jurisdictionem agnoscant. Observandum & hoc principibus, qui dies, quibus populis felices vel infelices fuerint, quod Plutarchus notat & Thuanus de Turcis refert. Mensem Septembrem summis principibus fatalem notavit fusè, Pet. Matthæus. adde Dresseri Sächsische Cronica.

Ad has artes Duces prævios quàm plurimos habent, quicunq; ex Ducibus sequi volent. Nam cuiq;

Ventos & varium cœli prædiscere morem 1 *Georg.*
Cura sit, ac patrios cultusq; habitusq; locorum.

ARS

ARS XXII.

1.22. *Benigne Legatos tractando.*

LEgati sive oratores mandata sui Principis vel populi ultrò citroq; referunt, idq; cùm missi sunt vel de pace agenda, vel bello indicendo, vel gratulatum de concordia, vel questum injurias & res repetitum, vel tuendi socios, vel etiam ad animos conciliandos. Ideoq; in legatis tanta inest majestas, ut eorum auctoritate etiam ab armis *Gallos* avocari petierit ab senatu Attalus: eaq; majestas ex jure gentium originem sumsit, *l.17. De legation.* & ab omnibus qui naturali ratione præditi sunt, peræq; custoditur & sacrosancta habetur. *Fabrit. in Orig.* Nec satis liquet si Legati fuerint, quos Boëmi in Lusatia grassantes Gorlicium miserant, & à Gorlicianis insuti culeis in profluentem Neisam conjiciebantur, rectène atq; ordine id factum sit, quòd cives suspicabantur evocatos senatores aut vitâ aut pecuniâ *Thuan. Comm 4 de bell. Neapol.* mulctandos. Certè servus ille servorum Paullus 4. nulla juris gentium habita ratione

tione Legatum Albani ludificantem contraria ludificatione usus in carcerem conjici jussit. Aut enim ablegandi sunt, aut quod *Cominæo* obtigit, jurejurando adigi possunt, ut profiteantur nihil à se callidè, vel insidiosè fieri, sed omnia liberaliter agi. Aliâs quid peccet qui ab alio missus, ejus negotia expedit, de suo nihil addit, qui nemini injuriam suo nomine infert, verbis, quibus solis aliquid potest, utitur, qui quasi commercium agendorum aperit, inter absentes præsentiam conciliat & animos etiam diffidentes mutuo quodam colloquio confert ac conjungit? Hîc benignè ac blandè excipit & tractat Legatos Tullus, etiam quos norat esse fetiales ad res repetendas missos aut bellum indicendum; neq; hoc facit ex officio, quòd esset coactæ voluntatis aut debitæ subjectionis, sed honoris causså, ut sub illa specie eos detinere, dum res suas peregisset, posset. Suæ ergo simplicitati imputent Legati, qui se conviviis comiter celebrandis à proposito averti patiebantur, sicut ex contrario *4. de bell. Neap.*

G simplex

42. 47. ſimplex fuit ille Rex, cui Romani Legati illuſerunt decepto per inducias & ſpem

Philip. 8. pacis. Quamvis autem *Cicero* inconſultiſſimum eſſe & Reipub. periculoſiſſimum arbitretur, diutius tenere Legatos, ſiquidem ſub ſpecie Legationis explorare interim omnia poſſunt, ſicut Romi Legati Tarquiniæ alij alia moliebantur, apertè bona repetentes, clam recuperandi regni conſilia ſtruebant, & tanquam ad id quod agi videbatur ambientes, nobilium adoleſcentium animos pertentabant: Tamen aliter viſum

Procop. 2. de bell. Pers. fuit Tullo, quod & Perſæ probarunt, dum Legatum Romanum de pace miſſum detinuerunt & ſermonibus tantiſper demulſerunt, donec neceſſarijs belli comparatis conditiones pacis poſſent rejicere & ita re infectâ Legatum dimiſerunt. Tum autem periculum ſubeſſe

1. Com. cenſet Cominæus cùm ad infirmiorem à potentiore ejuſmodi internuncij mittantur, facilè enim fieri poſſe ut humana levitas ad potentiorem ſe traduci patiatur, aut ſi ab infirmiore mittantur, facilè

cilè eos à potentiore corrumpi posse, ut nudent suæ causæ secreta: ideòq; videndum ait an ab amicis an inimicis veniant Legati. Si ab illis de quibus nullam habemus malè suspicandi caussam, liberaliter & honestè sunt tractandi: si ab his de quibus periculum subest, excipiendi quidem sunt non incommodè, sed adjungendi ijs homines qui liberaliter eos tractent, & simul ipsorum actiones observent. Sic Ars arte deluditur. 4. Com.

Hoc ipsum ut strueret, Sinon venientibus ultrò 2. Æn.
Se obtulerat, fidens animi; atq; in utrunq; paratus
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.

Ars XXIII.

Tectis alterius Vrbis dirutis, duos populos in unum confundendo. 1. 22. & 29.

QVod suprà de uno unius imperio dictum est, huc etiam accommodari poterit, cùm duo vel plures Vrbes in vicinia positæ simul imperio frui & ex alto dominari cupiunt: tum enim altera al-

ra alteri semper suspecta est, & suspiciones longè lateq; tam diu aluntur, donec in mutuam perniciem concurrant, quod de *Thebanis* & *Spartanis* censet *Plutarchus*, qui catulorum instar commissi invicem mordentes ab invicem consumebantur. *Inter finitimos lis atq; æterna simultas.* Inde *Themistocles* cùm fundum vendere vellet, proclamari jussit, *bonum vicinum habere prædium*, tanquam rarum

l. 35. §. fin. De contr. emt. quoddam contingens. Et *actione emti* tenetur si quis invendendo prædio confinem celaverit, quem emtor si audisset, emturus non esset. Consultum itaq; est ut ex duobus aut pluribus exilioribus oppidis una magna civitas constituatur, quæ & multitudine ad vim arcendam promtior sit, & uno quasi corpore colligata neq; simultates alere, neq; discordias serere possit, quibus parvas civita-

4. Pol. 11. tes obnoxias esse etiam *Aristoteles* asserit. Aliàs hoc vulgò etiam est usitatissimum, ut aliena apprehendendo & attrahendo fines proferantur & propagentur. Quamvis enim naturâ hoc æquum sit, ne-

ſit, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, & apud Saluſtium plus ſatis arguantur Romani, quaſi quibus cum nationibus, populis, regibus una & vetus cauſſa bellandi fuerit cupido proferendi imperij: tamen reſpectu publicæ pacis præferenda eſt illa privatæ utilitati: quod de uſucapionibus & præſcriptionibus tractant latè Dd. & jure dominationis quos bello ſubegerant Romani, eos cavebant ne cum periculo magnitudinis Romanæ denuò creſcerent & arma adverſus victores ſumerent, ideoq; ſicut in corporibus ægris nihil quod nociturum eſt, Medici relinquunt, ſic Romani quidquid obſtabat imperio recidebant. Hæc utilitas publica eſt *juſti quaſi mater & æqui*, conjuncta cum honeſtate & jure, cui Spartani primas ſemper tribuebant. Et mos hic fuit omnium Regum ut rem Rom. augerent hoſtibus in civitatem accipiendis, quod & Tullus fecit cùm capto Politorio multitudinem omnem Romam traduceret: Quod ſi tum etiam diruiſſet, eam ur-

l. 14. De condict. indeb.

l. un. §. 14. C. de caduc. toll.

Hor. 1. Sat. 3.

bem, vacuam non occupassent Latini, neq; ille opus habuisset bello eandem repetere. Et quid aliud, inquit Tacitus, exitio Lacedæmoniis fuit atq; Atheniensibus, quanquam armis pollebant, nisi quòd victos pro alienigenis arcebant? Rectiùs Rutilianus.

Dumq; offers victis proprii consortia juris,
Vrbem fecisti quod prius orbis erat.

Tantùm arte valuerunt Reges isti, ut plerosq; populos eodem die hostes, dein cives habuerint.

12. Aen. *—— paribus se legibus ambæ*
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
4. Aen. *—— Si Iuppiter unam*
Esse velit Tyriis urbem Trojaq; profectis,
Misceri ve probet populos aut fœdera jungi.

Ars XXIV.

I. 30. *Templum ordini Patrum Curiam faciendo.*

PRopter curam, quo suam quisq; senator confert, locus quoq; curia appellatur, quòd ibi publicas curas gerebant, ubi publica salus curabatur, ubi magi-

magiſtratus haberi & Reipublicæ cura per ſententias expediri ſolebat. Erat autem Curia & ſacerdotum,& ſenatus: ut Curia Hoſtilia,Pompeja,Iulia, eæq; tam Sacroſanctæ habebantur, quàm auguſta Deorum templa. Ne quis fortè de his coitionibus queratur eo titulo quo de factionibus querela eſt: cùm enim probi, cùm boni coëunt, cùm pii, cùm caſti congregantur, non eſt factio dicenda, ſed Curia, à qua viles animæ arcentur. Quin & Senatus habebatur in ipſis Deorum templis,ut in æde Concordiæ, Honoris, Pacis, in templo Iovis Capitolini. Nam,ut Plautinus ille cenſet,*conſilia firmiora ſunt de divinis locis*. Atq; inde factum opinor, ut Senatores Romani priusquam conſiderent, quiſq; thure ac mero ſupplicabant apud aram ejus DEI, in cujus templo coiretur,idq; tàm venerandi DEI gratiâ, quàm ſapientiæ ſimul impetrandæ in venerando illo conſeſſu. Poſteà cùm rogarent ſententiam Coſſ. qui dicebant, ſtantes eſſe oportebat; poſt verò ſententiam aſſidebant.Ex quo

Tertull. adv. gent.

Moſt. a. 3. ſ. 1.

Suet. in Aug. c 35.

interpretor illud Salustii, qui Ciceronem aliud stantem, aliud sedentem de Repub. sensisse arguit: sicut aliàs joco amaro exceptus fuit, à Laberio Mimo, qui ipsum duabus sellis sedere solitum notavit. Prætereà in assessu prohibitum fuit, ne poplites alternis genibus imponerent, quod eos otiosos esse designaret; Si tamen aliorum opinioni assentiri vellent, poterant sedentes sententiæ studio & voluntate accedere. Quòd verò sententia non valeat, nisi feratur à Iudice stante notant ICti ad Nov. 82. §. 3. Hodiè etiam Parisiis & alibi in principum Consistoriis stantes ac nudo capite sententiam dicunt: & pravus mos est, censente *magno Præside*, si promiscuè omnes in sanctiore illo sodalitio sedeant. Virgilij de sacro sancto illo loco sententia hæc est:

Thuan. 6. Hist.

7. Æn.

Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
Hæ sacris sedes epulis, hîc ariete cæso,
Perpetuis soliti patres considere mensis.

ARS

ARS XXV.

Tentari patientiam non sinendo. I. 32.

VIdetur cum *Socrate* statuendum, ne verbo quidem sapientem posse offendi, sed eum adversus omnem fortunam robore virtutis suæ manere immobilem. Atq; id ne solis Philosophis sic placuisse credamus, ipsorum summorum Impp. ad publicandam patientiam exempla nota sunt. Scipio Africanus cùm parum pugnax argueretur; *Imperatorem*, inquit, *me mater peperit, non bellatorem.* Q. Fab. Max. quanquam probè sciebat non in castris modò suis, sed jam etiam Romæ suam cunctationem infamem esse, obstinatus tamen sine ignominia servasse exercitum, quàm multa millia hostium occidisse ducebat majorem gloriam esse: Atq; idem Æmilio suadet, ut sinat timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent. Iulius Cæsar & Augustus quàm patientissimè multa sustinue- II. 15.

runt? Calvitium, latum clavum, margaritarum cupiditatem, famosos libellos, jocularia carmina, Nicomedis stuprum, Ciceronis morsus, Antonij panificium & similia, quibus neglectis comprobarunt, *in libera civitate liberas esse debere linguas*, & satis sibi esse, si hoc haberent ut nemo malefacere cuiquam possit, adeoq; *nescire imperare, qui nequiret dissimulare*. Verumenimverò cùm princeps in Rep. suam authoritatem conservare teneatur, & verò aut remittendo aut intendendo potestatem, dignitatem Principis tueri non possit, sed vel populo servire cogatur, vel Tyrannus sit oporteat, unde aut contemtum sui aut odium subditorum sibi conciliet: Ergo medium tenuêre beati, ut studio æquitatis naturalis humanitatisq; communis, aliquid interdum insuper habeat ac negligat, quod nimis exaggerando ab amore sui fastuq; profectum judicaretur: Nunquam tamen se contemni patiatur, sed id observet, quod ICTus monet, ut in adeundo quidem facilẽ se præ-

l. 19. De off. præsid.

beat,

beat, dignitatatis tamen tuendæ & decoris sui caussâ non passim omnes sine delectu apud se postulare permittat. In cognoscendo autem neq; excandescat adversus eos quos malos esse putat, neq; precibus calamitosorum illacrymetur: id enim non est constantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit, & summatim ita se gerat ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat. In Rege Anco etsi medium erat ingeniũ & Numæ & Romuli memor, tamen cùm Latini sustulerant animos, & incursiones in agrum Rom. fecissent, repetentibusq; res Rom. superbè responsum redderent, desidem Regem intra sacella & aras acturum esse regnum rati, ipse quod sibi contigisset otium, sine injuria se haud facilè habiturum, tentari patientiam & tentatam contemni putans, primò quidem bellicas ceremonias instituit, tùm etiam puro pioq; bello res quæsivit & consecutus est. Ranimirus à suis illusus quòd è monasterio ad regnum pervenerat, cùm darent ipsi in manum

l. 1. in pr. De postul.

Pandulpho, Collenut.

manum sinistram lanceem, in dextram clypeum, & juberent equi frena assumere, atq; ille mordicus ista abriperet, effusè ridentes tandem XI. jussit occidi, addito elogio: *Nescit vulpecula cum quo ludat.* Illa autem apud Virgilium ait:

Quid me alta silentia cogis
9. Aen: *Rumpere? i, verbis virtutem illude superbis.*

Ars XXVI.

I. 32. *Bella aliquo ritu indicendo.*

SAnctè cum pace agendum est, sanctiùs cum bello, quod pacem excipit & in eam desinit, nec in hominum numero veniunt computandi ij, qui belli & pacis nominibus veluti numismate aliquo promiscuè non juris sed propriæ utilitatis ratione utuntur, quod in Antonio videre est qui Augustum congressum & colloquium petentem irrisit, cùm dixit: *quis noster erit judex si quid contra quàm convenerit agetur?* quasi præter Antonium & Augustum nihil tertium potuerit invenire. Belli & armorum

morum jura non minùs justè quàm fortiter geri debent. Latet enim in recessibus Naturæ jus aliquod, quo argumenta tractantur bellica, & videmus omnes etiam barbaros ex jure gentium bella incipere ac desinere. Potissimùm autem apud Romanos *Disciplina militaris* tradita per manus *in modum Artis perpetuis præceptis ordinata venit*, ut quemadmodum primi Vrbis conditores bella gesserant, ita deinceps Coss. ac Dictatores eandē belli gerendi rationem observarent, idq; Libris de jure fetiali per Numam conscriptum erat & expositum. Bellum enim nullum Romani nisi pium putabant geri oportere non tantùm perficiendo, sed & inchoando, ideoq; priùs semper fetiales suos mittebant, qui propriè & speciali appellatione Legati erant rei armis ablatæ repetendæ, amicitiæ renunciandæ, belli indicendi, ictis fœderibus finiendi. Inde testes faciebant Deos, uter priùs populus res repetentes Legatos aspernatus dimiserit, ut in eum omnes expetant belli clades.

des. Ritus autem & ceremoniæ ejusmodi sollemnitatem quandam præ se ferebant, quæ certis verbis seu formulis conclusa publicè fetialis cùm fines alterius populi ingressus peragebat. Quâ de re abundè Brissonius lib. 4. form. Quibus ritè peractis, constitutum erat Românis ut nunquam cum hoste armato conditionem fœderis acciperent, ni prius omnia divina & humana tradidissent & præsidium accepissent, aut deniq; societate & fœdere adstricti essent. Cæteroquin qui intempestivè pugnaces sunt & levi de caussa ad arma prosiliunt, nullo indicto bello, cum Atheniensibus nunquam pacem sciscunt *sine palliis pullis*, id est, non nisi suorum clade admoniti & ultimâ ducti necessitate post innumeras cædes viribus extenuatis pacem cum dedecore petunt. Hoc aversari volens Latinus:

Plut. de præcept. salubr.

Sepsit se tectis, rerumq; reliquit habenas. *7. Aen.*

Et quia:

Mos erat Hesperio in Latio, quem maxima rerum
Roma colit, cùm prima movent in prælia Martem;

Sunt

Sunt geminæ belli portæ.
Has ubi certa sedet Patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabeâ, cinctuq́ue Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.
Hoc & tum Aeneadis indicere bella Latinus
More jubebatur
Abstinuit tactu Pater, aversusq́ue refugit
Fœda ministeria & cæcis se condidit umbris.

ARS XXVII.

Receptacula hostium diruendo. 1.23.& 33.

DEmosthenis nonnulla fuit excusatio, cùm abjecto scuto fugisset, atque id ei exprobraretur, ἀνὴρ ὁ φεύγων, ajebat, καὶ πάλιν μαχήσεται; *Qui fugit, ad pugnas ille redire potest.* Cui non absimile, quod Carolus M. à VVidekindo fugatus dixisse fertur. Es ist mir lieber / man sage: Hier ist Carl geflogen / als hier ist Carl erschlagen. Quam diu enim quis fugæ receptaculum habet, tamdiu invictus videri potest, etiamsi castris exutus & omni subsidio privatus, sicut *Masinissa* olim, in spelunca occulta cum duobus equitibus herbis vulnera curet, aut cum *Aug.* *Sächs. Cron.*

Am-

Ambiorige quatuor habeat, quibus vitam committat. Hi enim ipsi semper cũ Phi-
Iust. 8. lippo Macedone velut è specula libertati omnium insidiantur, & ingenti audaciâ ad sua repetenda prodeunt. Inde haud frustra *Annibalem* metuebant Romani, etiamsi à *Scipione* fusus, Carthagine profugus, apud *Prusiam* non nisi domum diverso exitu superstitem haberet: & *Philopœmon* in thesaurum publicum sub terra saxo quadrato septum vinctus demissus, saxo ingenti, quo operitur Machina, super imposito, tamen metuebatur, donec hausto veneno expirasset. Qua in re quàm impiè egerunt, quòd à patrum moribus degenerantes Romani
...eno hostem extingui curarunt, tam
... metuendi caussas habuerunt;
...ubicunq; Annibal esset, hostis no-
l. 3. c. 1 De off præsid. ...uratus esset. Præterea
... bono præsidi curare ut
...rovincia sit, quam re-
...c obtinebit si sollicitè
...ninibus, undecunq;
...getur, eosq; conqui-
...rat;

rat, receptoresq; eorum coërceat, sine quibus diutius latere non possint. RUDOLPHUS. I. summam adeptus est laudem, quòd grassatorum latibula & arces demoliendo securitatem viarum Germaniæ reddidit. Inde Cicero duo Injustitiæ genera facit, unum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. Et de eo qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, asserit, tam esse in vitio, quàm si parentes, aut amicos aut patriam deserat. Sublatis ergo susceptoribus, cupido grassantium conquiescit. Turnus postquam Æneæ classem incendisset, ait:

1. off.

l. 1. De receptat.

—— —— bis Iuppiter ipse
Auxilium solitum eripuit, non tela nec ignes
Expectant Rutulos, ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ, rerum pars altera adempta est.

ARS XXVIII.

Malos metu pœnarum coërcendo. 1. 13.

Frustrà sunt qui conqueruntur, præter *Andegavensem* illum, paucos de

 bono-

interpretor illud Saluſtii, qui Ciceronem aliud ſtantem, aliud ſedentem de Repub. ſenſiſſe arguit: ſicut aliàs joco amaro exceptus fuit, à Laberio Mimo, qui ipſum duabus ſellis ſedere ſolitum notavit. Præterea in aſſeſſu prohibitum fuit, ne poplites alternis genibus imponerent, quod eos otioſos eſſe deſignaret: Si tamen aliorum opinioni aſſentiri vellent, poterant ſedentes ſententiæ ſtudio & voluntate accedere. Quòd verò ſententia non valeat, niſi feratur à Iudice ſtante notant ICti ad Nov. 82. §. 3. Hodiè etiam Pariſiis & alibi in principum Conſiſtoriis ſtantes ac nudo capite ſententiam dicunt: & pravus mos eſt, cenſente *magno Præſide*, ſi promiſcuè omnes in ſanctiore illo ſodalitio ſedeant. Virgilij de ſacro ſancto illo loco ſententia hæc eſt:

Thuan. 6. Hiſt.

7. Æn.

Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
Hæ ſacris ſedes epulis, hic ariete cæſo,
Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.

ARS

ARS XXV.

Tentari patientiam non sinendo. l. 32.

Videtur cum *Socrate* statuendum, ne verbo quidem sapientem posse offendi, sed eum adversus omnem fortunam robore virtutis suæ manere immobilem. Atq; id ne solis Philosophis sic placuisse credamus, ipsorum summorum Impp. ad publicandam patientiam exempla nota sunt. Scipio Africanus cùm parum pugnax argueretur; *Imperatorem*, inquit, *me mater peperit, non bellatorem.* Q. Fab. Max. quanquam probè sciebat non in castris modò suis, sed jam ll. 15. etiam Romæ suam cunctationem infamem esse, obstinatus tamen sine ignominia servasse exercitum, quàm multa millia hostium occidisse ducebat majorem gloriam esse: Atq; idem Æmilio suadet, ut sinat timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent. Iulius Cæsar & Augustus quàm patientissimè multa sustinuerunt?

runt? Calvitium, latum clavum, margaritarum cupiditatem, famosos libellos, jocularia carmina, Nicomedis stuprum, Ciceronis morsus, Antonij panificium & similia, quibus neglectis comprobarunt, *in libera civitate liberas esse debere linguas*, & satis sibi esse, si hoc haberent ut nemo malefacere cuiquam possit, adeoq; *nescire imperare, qui nequiret dissimulare.* Verumenimverò cùm princeps in Rep. suam authoritatem conservare teneatur, & verò aut remittendo aut intendendo potestatem, dignitatem Principis tueri non possit, sed vel populo servire cogatur, vel Tyrannus sit oporteat, unde aut contemtum sui aut odium subditorum sibi conciliet: Ergo medium tenuêre beati, ut studio æquitatis naturalis humanitatisq; communis, aliquid interdum insuper habeat ac negligat, quod nimis exaggerando ab amore sui fastuq; profectum judicaretur: Nunquam tamen se contemni patiatur, sed id observet, quod ICTus monet, ut in adeundo quidem facilẽ se præbeat,

l. 19. De off. præsid.

beat, dignitatatis tamen tuendæ & decoris sui caussâ non passim omnes sine delectu apud se postulare permittat. In cognoscendo autem neq; excandescat adversus eos quos malos esse putat, neq; precibus calamitosorum illacrymetur: id enim non est constantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit, & summatim ita se gerat ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat. In Rege Anco etsi medium erat ingeniū & Numæ & Romuli memor, tamen cùm Latini sustulerant animos, & incursiones in agrum Rom. fecissent, repetentibusq; res Rom. superbè responsum redderent, desidem Regem intra sacella & aras acturum esse regnum rati, ipse quod sibi contigisset otium, sine injuria se haud facilè habiturum, tentari patientiam & tentatam contemni putans, primò quidem bellicas ceremonias instituit, tùm etiam puro pioq; bello res quæsivit & consecutus est. Ranimirus à suis illusus quòd è monasterio ad regnum pervenerat, cùm darent ipsi in manum

l. 1. in pr. De postul.

Pandulph. Collenut.

manum sinistram lanceam, in dextram clypeum, & juberent equi frena assumere, atq; ille mordicus ista abriperet, effusè ridentes tandem XI. jussit occidi, addito elogio: *Nescit vulpecula cum quo ludat.* Illa autem apud Virgilium ait:

Quid me alta silentia cogis
9. Aen: *Rumpere? i, verbis virtutem illude superbis.*

Ars XXVI.

l. 32. *Bella aliquo ritu indicendo.*

SAnctè cum pace agendum est, sanctiùs cum bello, quod pacem excipit & in eam desinit, nec in hominum numero veniunt computandi ij, qui belli & pacis nominibus veluti numismate aliquo promiscuè non juris sed propriæ utilitatis ratione utuntur, quod in Antonio videre est qui Augustum congressum & colloquium petentem irrisit, cùm dixit: *quis noster erit judex si quid contra quàm convenerit agetur?* quasi præter Antonium & Augustum nihil tertium potuerit invenire. Belli & armorum

morum jura non minùs justè quàm fortiter geri debent. Latet enim in recessibus Naturæ jus aliquod, quo argumenta tractantur bellica, & videmus omnes etiam barbaros ex jure gentium bella incipere ac desinere. Potissimùm autem apud Romanos *Disciplina militaris* tradita per manus *in modum Artis perpetuis præceptis ordinata venit*, ut quemadmodum primi Vrbis conditores bella gesserant, ita deinceps Coss. ac Dictatores eandē belli gerendi rationem observarent, idq; Libris de jure fetiali per Numam conscriptum erat & expositum. Bellum enim nullum Romani nisi pium putabant geri oportere non tantùm perficiendo, sed & inchoando, ideoq; priùs semper fetiales suos mittebant, qui propriè & speciali appellatione Legati erant rei armis ablatæ repetendæ, amicitiæ renunciandæ, belli indicendi, ictis fœderibus finiendi. Inde testes faciebant Deos, uter priùs populus res repetentes Legatos aspernatus dimiserit, ut in eum omnes expetant belli clades.

des. Ritus autem & ceremoniæ ejusmodi sollemnitatem quandam præ se ferebant, quæ certis verbis seu formulis conclusa publicè fetialis cùm fines alterius populi ingressus peragebat. Quâ de re abundè Brissonius lib. 4. form. Quibus ritè peractis, constitutum erat Românis ut nunquam cum hoste armato conditionem fœderis acciperent, ni prius omnia divina & humana tradidissent & præsidium accepissent, aut deniq; societate & fœdere adstricti essent. Cæteroquin qui intempestivè pugnaces sunt & levi de caussa ad arma prosiliunt, nullo indicto bello, cum Atheniensibus nunquam pacem sciscunt *sine palliis pullis*, id est, non nisi suorum clade admoniti & ultimâ ducti necessitate post innumeras cædes viribus extenuatis pacem cum dedecore petunt. Hoc aversari volens Latinus:

Plut. de præcept. salubr.

7. Aen. *Sepsit se tectis, rerumq; reliquit habenas.*

Et quia:

Mos erat Hesperio in Latio, quem maxima rerum
Roma colit, cùm prima movent in prælia Martem;

Sunt

Sunt geminæ belli portæ.
Has ubi certa sedet Patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabeâ, cinctuq; Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.
Hoc & tum Aeneadis indicere bella Latinus
More jubebatur
Abstinuit tactu Pater, aversusq; refugit
Fœda ministeria & cæcis se condidit umbris.

ARS XXVII.

Receptacula hostium diruendo. l.23.& 33.

DEmosthenis nonnulla fuit excusatio, cùm abjecto scuto fugisset, atque id ei exprobraretur, ἀνὴρ ὁ φεύγων, ajebat, καὶ πάλιν μαχήσεται; *Qui fugit, ad pugnas ille redire potest.* Cui non absimile, quod Carolus M. à VVidekindo fugatus dixisse fertur. Es ist mir lieber / man sage: Hier ist Carl geflogen / als hier ist Carl erschlagen. Quam diu enim quis fugæ receptaculum habet, tamdiu invictus videri potest, etiamsi castris exutus & omni subsidio privatus, sicut *Masinissa* olim, in spelunca occulta cum duobus equitibus herbis vulnera curet, aut cum *Aliq. Sächs. Cron.*

Am-

Ambiorige quatuor habeat,quibus vitam committat. Hi enim ipſi ſemper cũ Phi-
Iuſt. 8. lippoMacedone velut è ſpecula libertati omnium inſidiantur, & ingenti audaciâ ad ſua repetenda prodeunt. Inde haud fruſtra *Annibalem* metuebant Romani, etiamſi à *Scipione* fuſus, Carthagine profugus, apud *Pruſiam* non niſi domum diverſo exitu ſuperſtitem haberet: & *Philopæmon* in theſaurum publicum ſub terra ſaxo quadrato ſeptum vinctus demiſſus,ſaxo ingenti,quo operitur Machina, ſuper impoſito, tamen metuebatur, donec hauſto veneno expiraſſet. Qua in re quàm impiè egerunt, quòd à patrum moribus degenerantes Romani veneno hoſtem extingui curarunt, tam juſtas metuendi cauſſas habuerunt; quòd ubicunq; Annibal eſſet, hoſtis no-
l. 3. t. 13. De off. præſid. minis Romani juratus eſſet. Præterea congruit gravi & bono præſidi curare ut pacata & quieta provincia ſit,quam regit,nec difficilè hoc obtinebit ſi ſollicitè agat, ut malis hominibus, undecunq; ſint provincia purgetur, eoſq; conqui-

rat;

rat, receptoresq; eorum coërceat, sine quibus diutius latere non possint. RUDOLPHUS. I. summam adeptus est laudem, quòd grassatorum latibula & arces demoliendo securitatem viarum Germaniæ reddidit. Inde Cicero duo Injustitiæ genera facit, unum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. Et de eo qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, asserit, tam esse in vitio, quàm si parentes, aut amicos aut patriam deserat. Sublatis ergo susceptoribus, cupido grassantium conquiescit. Turnus postquam Æneæ classem incendisset, ait: 1. off. l. 1. De receptat.

—— —— his Iuppiter ipse
Auxilium solitum eripuit, non tela nec ignes
Expectant Rutulos, ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ, rerum pars altera adempta est.

ARS XXVIII.

Malos metu pœnarum coërcendo. 1. 23.

FRustrà sunt qui conqueruntur, præter *Andegavensem* illum, paucos de

bonorum præmiis, omnes de pœnis malorum ſcripſiſſe: quaſi non æqualis præmiorum & pœnarum diſtributio obſervata ſit, quibus tanquam duobus fundamentis ſecundùm proportionem harmonicam omnis Reſpub. innitatur. Ecce verò dum boni ſuâ ipſius conſcientiâ & innocentiâ ſatis præmij conſequuntur, & rerum quæ geruntur, illud propter quod una quæq; res geritur, ejusdem rei præmium eſſe non injuria videri poteſt, omnes inſuper omnium Hiſtoricorum libri uberrimè de præmiis tanquam publicis honoribus agunt; Potiſſimùm verò Romana inſigniter grata erga virtutem civitas fuit, eaque honorata, ſtatuâ, coronâ murali, civicâ, &c. donata bove aurato, agro quantum uno die arari potuit, pro concione laudata, donis militaribus ornata, cingulo militari, jure aureorum annulorum, aliisq; præmiis, quæ bello geſto pro cujusq; merito perſolvebantur, ita ut cùm omnia deeſſent, poſt continuæ militiæ tempus, erat præmium non tantùm quod oc-

Boëth 4. de conſulat.

l. 11. De Eviction.

quod occupatum sed & sub ancipiti marte adhuc occupandum erat: Quod ex Virgilio probatur: *Lib. 9.*

Si verò capere Italiam, sceptrisq; potiri
Contigerit victori & prædæ ducere sortem,
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? ipsum illum clypeum cristasq; rubentes
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia Nise.

Adeò scilicet omnium honorum distribuendorum caussa Virtus est, quam antecedere præmia, non sequi oportet. Et quid aliud fuit cùm Consul creabatur, Dictator dicebatur, Senator legebatur, Prætor fiebat, &c. nisi ut his honoribus quasi præmiis boni ad virtutem invitarentur & benemeritis gratiæ referrentur. *Ael. Spartian. in Adriano fol. 129.* Sic itaque *Præmia merentibus* dantur, sicut *beneficia etiam immerentibus*, *poenæ* autem non nisi *peccantibus* exhibentur, *L. 16. §. 10. De pæn.* ut & conspectu alij à facinoribus deterreantur: In eum finem carcer à Rege *Anco* ad terrorem increscentis audaciæ mediâ urbe imminens foro ædificatur. Nec probandus est mos Lacedæmoniorum qui sontes noctu plectebant, in- *Herod. 4.*

H 2 terdiu

terdiu neminem: ſicut enim *interdictas* l. 8. §. 9. De pœn. *in carcere pœnas* Ictus monet, ut ab educto quaſi ſub pub. teſtimonio commemoratio admiſſi criminis fiat, & judicibus immodicè ſævientibus freni quædam temperies adhibita videatur, ita privatim & clandeſtino puniti pœnam in ſe unis ſentiunt, exemplum in nullos remittunt: atque ita improbi quidem puniuntur, ab improbitate tamen nemo deterretur.

6. Aen. *Gnoſſius hæc Rhadamantus habet duriſſima regna*
Caſtigatq́ue auditq́ue dolos, ſubigitq́ue fateri.
—— —— malorum
Exercet pœnas & ad impia Tartara mittit.

Ars XXIX.

l. 35. *Ludos, porticus, tabernasq́ue faciendo.*

ECquid non alienum hoc ſit à Rege & populo bellicoſo, ludos facere, geſticulatorias artes exercere aut exercentes ſpectare, audire ſolas aurium delitias, argumenta fictis amatorum caſibus referta? Annon Lacon quidam, cùm Athenienſium videret apparatus comi-

comicos, rectè autumavit civitatem eam non sapere, quæ tantum impenderet in res ludicras? Equidem de jure *servi corrupti* dicuntur, *qui in spectaculis nimii* sunt: & Senecæ videtur nihil tam bonis moribus damnosum, quàm in aliquo spectaculo desidere, tunc enim per voluptatem faciliùs vitia surrepunt. Constat itaq; ab initio urbis usque ad annum 389. Circi modò spectaculum fuisse, in quo roboris ac celeritatis specimina edebantur curriculis & equis ad certandum paratis: postmodum T. Sulpitio Petico, Cajo Stolone Coss. inter aliarum parva principia rerum ludorum quoque origo cœpit, & mox apparuit quàm ab sano initio res in eam vix opulentis regnis tolerabilem insaniam venerit. Religionis sanè atque animi relaxandi gratiâ tum etiam ad mores formandos Ludi facti sunt, & exhibitæ fabulæ quæ naturæ opera per allegorias demonstrant, aut malè conceptas opiniones vulgo ex animis evellunt. Et SC. cautum erat, ne quis in urbe propiúsve

L. 1. §. 5. De serv. corrupt.

Dionys. Halic. f. 139.

passus M. subsellia posuisse, sedensvè ludos spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum juncta standi virilitas, propria gentis Romanæ, nota esset: nec omninò verum est *cytharas, cantusq́, lyrasq́* enervare animos, cùm multi viri fortissimi ijs studuerint.

Ovid. ad Pis.

Ne pudeat pepulisse lyram cum pace serena,
Publica securis exultent otia terris,
Sic movisse fides sævus narratur Achilles.

Præterea facilè agnoverunt omnes quantoperè animi affectus temperari possint Comicis istis delitiis, & quàm obsequentes subditi earum exhibitione fiant. Inde etiam profanis ritibus salubri lege submotis, Impp. festos conventus Civium & communem omnium lætitiam non passi sunt submoveri.

l. 4. C. de pagan.

Quod porticus tabernasq; attinet, ea exercendis commerciis instituta sunt, quæ quamvis Lycurgus à sua Rep. aliena esse voluit, nobis tamen cum Callistrato Icto Platonis sententia probatur, qui indigere, ait, Civitatem pluribus utiq; rusticis & aliis opificibus & aliis

l. 2. De nundin.

aliis miniſtratoribus, itemq; his qui invehant & evehant ſingula. Hi autem ſunt negotiatores. Adferens enim agricola in forum aliquid eorum, quæ facit, vel aliquis alius opificum, niſi ſub idem tempus contingat eum cum his, quibus indiget, ſua permutare, vacabitnè ſuo opificio deſes ſedens in foro? nequaquam. Sed ſunt, qui hoc videntes, ſeipſos in hoc ſtatuant miniſterium. Inde ad officium Cenſorum pertinebat forum porticibus tabernisq; claudere. Atque hæc inter *præcipua Civitatis* referuntur quibus participat quilibet, qui ejus jure fruitur. Cives enim omnia habitationis commoda in civitate habent, ſive ea ſint libertatis ſive fori, ſive etiam ſacrorum, & theatrorum uſûs, adeoq; *Reſpub. eſt quæ habet res communes:* & Princeps cum Adriano Imp. ita Remp. gerat, ut ſciat *Populi rem eſſe, non propriam.* Inde apud Virgilium, cùm

41. 27. l. 35. D. ad municip. l. 1. D. Quod cujusq; univerſit. 1. Æn.

Iura, magiſtratusq; legunt, ſanctumq; Senatum,
Hic portus alij effodiunt, hic alta theatris
Fundamenta locant alij, immanesq; columnas,

ARS XXX.

Per speciem alienæ fungendæ vicis suas firmando opes.

c. 41. SVb specie recti multa quotidiè committuntur, quæ tamen omnia in Decalogo prohibita censentur. Et sanè *falsa* l. 6. D. ad municip. *simulatio veritatem non minuit*, nec mendacio dicentis se esse, unde non est, deponitur. Sed interim tamen teste Comi- 4. Comun. næo, Principes illi, præsertim qui non sunt inepti, suis negotiis aliquam semper honesti speciem prætexunt: cujus in Ludovico XI. Galliæ Rege vivum ex- 1. Hist. emplar ipse proponit. Et Gaicciardinus de Ludovico Sfortia apertè profitetur, eum ad bellum Neapolitanum conficiendum, continenter omnes excitasse, & non solùm id cogitasse, quomodo se in Nepotis tutela tutum conservaret, sed quomodo occasione belli in Aragonios Mediolanensis imperij jus omne in se transferret, utque scelus aliquo justitiæ colore adornaret, suasq; res majoribus firmamentis stabiliret, Neptem suam

Maxi-

Maximiliano in matrimonium collocavit, qui promisit se Sfortiæ Mediolanense imperium autoritate imperatoriâ concessurum. Idem de Gibellinis asserit, qui ut dominatum illum injuriâ occupatum, jure possidere viderentur, corroborare primùm veris coloribus, mox amplissimis appellationibus suam fortunam illustrare studuerunt: idcircò ab Impp. Capitanei primùm, post Vicarij nomen, ac tandem dignitatem ipsam impetrarunt. Sed hæc à Christianis, ut videri volebant, ferè extra omnem honesti speciem ac prætextum sunt perpetrata. Quantò religiosior Tanaquil Tarquinij Prisci uxor, quæ Viro occiso, cùm ruina totius regni immineret, claudi regiam jussit, arbitros ejecit, populum per fenestras allocuta bono animo esse jussit, sopitum Regem fuisse subito ictu, jam ad se rediisse, confidere propediem ipsum eos visurum, interim Servii Tullii jubere populum dicto audientem esse; Servius ipse cum trabea & lictoribus prodit, ac sede regià sedens alia decer-

nit, de aliis consulturum Regem esse simulat, itaq; per aliquot dies cælatâ morte Tarquinij, præsidio firmo munitus primus injussu populi, voluntate Patrum regnavit. Quod utinam non feliciter imitatus fuisset callidissimus Turca Mechemetes, qui Solimanni SIGETHUM oppugnantis mortem longo tempore in castris occultavit, cumq; reliqui purpurati ac prætoriani præcipuè summâ sui principis videndi cupidine tenerentur, nec parva suspicio esset, eum è vitâ migrasse, jamq; res ad occultos motus spectare videretur, Mechmetes astu eorum desiderium elusit: Nam mox cadaver solito cultu ornari jussit, illudq; in sublimi sella collocatum cupidis procul ostendit, ita callidè re aptatâ, ut omnes eum reverâ in humanis adhuc esse crederent. Hac arte expugnationem Segethi obtinuit, & Selymo integrum exercitum & regnum retinuit. Huc etiam referri aliquomodo potest, quod de Persarum Rege Plutarchus affirmat, eum cùm multa beneficia exhiberet

Thuan. 37. Hist.

beret Evagoræ, tandem ex inopinato bellum ipsi intulisse, injustè quidem, sed aliter rebus suis consulere non poterat. Paullò melior Virgiliana illa

— — nec specie famâve movetur, 4. Æn.
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem,
Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

ARS XXXI.

Censum instituendo. 1. 42.

TAndem etiam conduntur in Civitate discrimina & ordines, quibus non solùm inter gradus dignitatis, sed etiam fortunæ ac bonorum aliquid interluceat: Distinguendo enim ab invicem rudiores à peritioribus, ditiores à pauperioribus, minores à majoribus, senes à juvenibus, cuilibet quidem suus relinquitur locus & suum tribuitur cuique aut quantum satis est, ac si quid in moribus labat, non deest corrigendi author. Inde Censorum origo à parvis initiis orta, eò crevit, ad tantumq; fastigium devenit, ut morum disciplinæq;

Rom. decoris dedecorisq; discrimen, totiusq; Reipub. supremum jus haberet.

Interim quia etiam vectigalia & publicorum locorum privatorumq; arbitrium sub Censuræ cura ac potestate erat, simul ac semel cujuslibet patrimonium explorabatur & in tabulas referebatur, ut omnibus tantum non sentientibus & applaudentibus jugum intolerabile exactionum omnis generis imponeretur. Vnde alicui videri possit primò ac principaliter censum institutum esse censendis & æstimandis bonis & fortunis Civium. Id quo jure, quâve injuriâ fiat alii viderint. Dominia sanè privata, ratione originis & temporis, juris gentium sunt, & à possidente pro arbitrio usurpantur: Sed cùm ad Respub. referuntur tanquam pars toti adhærent, & jure cedunt publicis, ac posteriora sunt, ut potioris & prioris universi custodia & salus conservetur. Inde census & tributa exiguntur ratione bonorum & patrimonij in signum & recogni-

l. 3. C. de primi.

cognitionem ſubjectionis,juriſdictionis, imperii & dominii, idque non tantùm ordinariè ſingulis annis, ſed exigente neceſſitate etiam extra ordinem. Idque non obſtante ullà præſcriptione, pacto vel privilegio, ut innuere videtur Receſſus noviſſ. Ratiſponenſis. §. Nach dem nun. Itaque jus publicum in rerum privatarum Dominia adeò excrevit, ut etiam invito Domino tempore *Knich. de* neceſſitatis ſubditorum poſſeſſiones ad *jur. territ.* Reipub. uſum converti poſſint. *c.1.n.362.* Quin etiam ſubditos, vel loca ijs invitis alienari demonſtrat Menoch. Et quia abu- *Conſ. 426.* ſus frequens eſt exactionum, attendendum honorarium Virgiliani Lycidæ: *Ecl. 9.*

Nunc victi triſtes, quoniam ſors omnia verſat
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos.

ARS XXXII.

Vis omnis ſuffragiorum penès Primores ut eſſet efficiendo. 1. 43.

IN Cenſu inſtituendo rationem ſuffragiorum *Servius Tullius* eam habuit, uti

uti non, ſicut ab *Romulo* traditum cæteri Reges ſervaverant, viritim ſuffragium eadem vi, eodemq; jure promiſcuè omnibus daretur, ſed gradus fecit, ita ut neque excluſus quiſquam ſuffragio videretur,& interim tamen vis omnis penès Primores Civitatis eſſet. Suffragium enim primæ Claſſis ita excellere voluit ac tantum pollere fecit,ut ſi nihil in illis variaret, non eſſet opus ad reliquas quinque Claſſes & ordines deſcendere. Res itaque ſic ſe habebat: Civitas erat omnis diviſa in *Equites* & *Pedites* diſtributos in CXCIII. Centurias Iuniorum ac Seniorum, & deſcriptos per VI. Claſſes. Prima Claſſis XVIII. Equitum & LXXX. Peditum Centurias continebat, adeoq; conjunctim numero XCVIII. Centuriarum conſtabat: Horum ſuffragia ita copulavit Servius Tullius, ut cùm in reliquis V. Claſſibus tantùm XCV. Centuriæ eſſent, major pars primæ Claſſis ſemper concluderet, quia ſupra dimidium ſuffragiorum continebat: idcirco ſi in ferendo ſuffragio

con-

convenirent, non erat opus à primâ classe ad secundam, tertiam aut ulteriùs devenire. Hoc cùm paullò concisiùs expressisset *Livius* ab Exscriptoribus interpolatus, jam ab Interpretibus obscuritatis arguitur: Sed nullus dubito si manum medicam *Livio* VIRDUNGUS aut similis quispiam admovere vellet, quin ille se meliusculè sit habiturus & benè auditurus, siquidem H. Glareanus ex Dionys. Hal. modum medendi monstravit. Mihi hoc demonstrandum videtur, ut quid penès Primores vis suffragiorum collata fuerit? Nempe Primæ Classis Equites & Pedites quemadmodum Patrimonij bonis ac sorte reliquis prævalebant, ita ratione censûs plura solvebant, & arma ex ære habebant, cùm alii Classici, ut Populi adhuc pauperis, minùs contribuerent & arma leviora compararent. Quando itaque omnia onera Curarum ac Bellorum in dites à pauperibus erant inclinata, ne quà illi indignari possent, honos primæ Classi ditiorum is additus est, quo verè

in

in Reipublicæ Dominos evaderent, quippe penès quos erat maxima Populi Rom. poteſtas, quæ ſita eſt in ſuffragiis ferendis Centuriatis Comitiis in campo Martio cum Coſſ. Tribuni militares, Prætores & reliqui Magiſtratus liberri-
l.23.§.5. mè creabantur. Hîc enim *unitate majo-*
De rei vind. *ris partis* primæ Claſſis reliquæ quinque
l.36. *De re. jud.* *conſumebantur*, hoc eſt, plurium ſententia obtinebat, & quæ pars major erat, eo ſtabatur conſilio: Sic ſuum habebant pro onere honorem & emolumentum ditiores, & pauperioribus nulla erat anſa præbita conquerendi, ſe excluſos ſuffragiis, unde præcipuis Civitatis non participarent: Habebant enim jus ſuffragandi, ſed rarò incidebat, ut Centuriæ ſecundæ Claſſis vocarentur, nedum ut infrà ita deſcenderetur ut ad infimas in quintâ Claſſe perveniretur.

5. Aen. *Haud mora Conſiliis, nec juſſa recuſat Aceſtes*
Tranſcribunt urbi matres, populumq; volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.

ARS

ARS XXXIII.

Consilio imperium augendo. 1. 44.

VIgilantibus jura scripta sunt, & quamvis ICti *alluvionem tacitum incrementum* affirment, in quo nullus possessoris versetur animus, nullum ejus factum, quò magis alieno fundo quicquam attrahatur & suo adjiciatur: tamen diligentis est Patrisfamilias fundum suum ita viminibus, salictis atque aliis tenacioribus firmare, ut non solùm nihil detrahi possit, sed insuper etiam quod negligentioribus aqua subduxit suo fundo adhæreat, coalescat, & arbores quas secum traxit radices agant. Ita *ingenium humanum semper recipit incrementum*, quod in Rege ad amplificationem sui regni adhibetur: ut videre est in *Ieroboamo* ad detinendos decem tribus Israël: animadvertens enim ascensurum populum Israël in Ierusalem ad sacrificia, atque inde futurum, ut reverteretur regnum ad domum David,

excogitato consilio fecit duos vitulos aureos quos adorarent, adeoq; sensa animi alienarent à Deo vero in Ierusalem, Eodem consilio impius ille Achas altare Domini disjecit, ut Damascenum suum erigeret. Quod quidem in DEUM maximè blasphemum & scelus summum fuit, sed amore regni conservandi aliud nihil excogitare potuerunt ad retinendos subditos, quò minùs reverterentur ad dominum suum. Pari ratione cùm *Iacob* defraudaretur toties mercede debitâ, ad consequendum id, quod sibi debebatur, naturam arte correxit & juvit, ut verno tempore concipientibus ovibus, fontibus immitteret baculos discolores aut eosdem removeret, unde totus grex aut discolor aut unius coloris evasit. Sic cùm idem in se transtulit benedictionem patris, nullus dolus putandus est, sed in eo *magna rei*
16.de civ. 36. *mysterium* quæsitum fuit, quod Avgustinus notat. Ita Servius auctâ Civitate magnitudine Vrbis formatis omnibus domi & ad belli & ad pacis usus, ne semper

XX.

Utriusq; partis vires noscendo.

XXI.

Pericula & labores unà cum militibus Duce obeunte.

XXII.

Prædam munificè largiendo.

Index Artium

PARTIS TERTIÆ.

Regnum Romanum Quibus Erroribus ac Vitiis amissum sit.

I.

Spurio Tarpejo arcem credendo, cujus filia eam prodidit.

II.

Romulo inadversùm Sabinis Romanos ducente, irâ & cupiditate stimulante animos.

II.

Regnum cum Tatio consociando.

Dome-

Index Artium

PARTIS SECUNDÆ.

Regnum Romanum Quibus Belli Artibus partum auctum & multiplicatum sit.

I.

Muros transilire non patiendo,

II.

Cùm ad vim res spectare cœpit, tempus, locumq; aptum dando.

III.

Effusè vastantibus cum Exercitu obviàm eundo.

IV.

Vanam sine viribus iram docendo.

V.

Ducibus hostium cæsis spolia suspendendo.

VI.

Impetu & clamore hostes fundendo.

VII.

Colonias mittendo,

)?(*Victos*

per armis opes acquirerentur, consilio augere imperium conatus est; simul & aliquod addere urbi decus: consensum Deosq; consociatos à civitatibus Asiæ mirè laudavit inter proceres Latinorum, idque iterando sæpiùs, eos perpulit tandem ut Romæ fanum Dianæ populi Latini cum populo Romano facerent: ea erat confessio, caput rerum Romam esse, de quo toties armis certatum erat. Hoc etiam respectu Rutilius Romani effert:

Nec tibi nascenti plures animæq; manusq;,
Sed plus consilij, judiciiq; fuit.

Sanè cùm Plutarchus & alii disquirunt, Virtus ne an fortuna Romanis plura tribuerit, rationes in utramq; partem satis spetiosas afferunt: certum tamen est, proque vero obtinetur, Consilia agitantibus rationi consentanea, feliciter omnia succedere: at qui agitant sine ratione, ijs nec ipsum DEUM ad eorum deliberationes se accommodare. Itaque summum semper lucrum est benè consultare; nam etsi quid è contrario even-

turum est, nihilo tamen minùs benè consultatum est, superavitq; fortuna consilium non vi ac virtute quadam singulari, sed ex adveniente quadam & fallaci gratiâ, quâ *Timotheo* dormienti Vrbes reti implicábantur; & Syllæ non quæ consilio, sed subitâ occasione egisset meliùs ceciderunt. Quod si fortuna variet, cum Livio dicendum: *unde Consilium non petiisti, inde nec auxilium petere potes.* Optimè ergo Evander cùm ab Ænea requireretur de subsidiis,

Plutarch.

*Nobis,*inquit,*ad belli auxilium pro nomine tanto*
Exiguæ vires.
Sed tibi ego ingentes populos,opulentaq; regnis
Jungere castra paro.
— omnis furiis surrexit Hetruria justis
His ego te Aenea ductorem millibus addam.

FINIS.

LIPSIÆ



Imprimebant Hæredes Michaëlis Lantzenbergeri.
ANNO
M. DC. XIII.

In Politicam Livianam
CASPARIS FACII
Epigramma.

ISta meam semper traxit sententia mentem
C A S P A R E Chiron Principum
Provide Saxoniæ;
Nunquam cœlestem disjunctim posse Poësin
Consistere sine scientia
Nobilis Historiæ.
Hæc animam reddens format feliciter illam,
Farcitq; dulces utili
Serietate sales.
Hæc illi fert suppetias, huic illa vicissim,
Affinitasq; maxima
Vtranq; scitè glutinat.
Exemplo fueris nobis, C A S P A R E, Poëtas
Qui fulgis inter, & catus
Diceris historicus,
Dum flagras penitos LivI penetrare recessus,
Et jus, sub his reconditum
Foro politè accommodas.
Macte! bonis tua te vivax Politia quadrigis
Post hac Eoas per plagas
Hesperiasq; vehet.

Pictavij Idib. Novemb. An.
Sal. cIɔ. Iɔc. XII.
Scrib.

Iustus Zinzerlingus, I. U. D.

Perpe-

I.

Perpetui ſemper - Victura volumina Livi
Quicquid in abſtruſâ continuére penu,
Eruis, & dias profers ſolerter in auras
Docte Faci, *Claria fax radioſa chori.*
Queî mirer, ſi te puro contermina cœlo
Fama mori pennâ præmetuente vehat?

II.

Qui facis Aoniſin, illibataq́ Minerva;
Qui removes clarâ, quæ tenebroſa face:
Qui facis, ut quatuor floreſcant germina Rutæ,
Quàm Facii *nomen convenienter habes!*

III.

Facta Faci. *faciemq́ catis qui cernet ocellis,*
Fecit hic, & faciet, dixerit, omne benè.

Veteris & intemeratæ amicitiæ cauſâ ſcrib. Lipſiæ, VI. D. Octobr. An. ſal. cIↄ. Iↄc. XII.

Theodorus Sitzman, Thuringus.

Lecto-

XIII.

Domesticos in invidia regni committendo.

XIV.

Tarquinio ardentis animi Iuveni spem affectandi regni non minuendo.

XV.

Adversus Patrum voluntatem agendo.

XVI.

Matrimonio violenta duo ingenia jungendo.

XVII.

Fœminâ regnum dante & adimente.

XVIII.

Malo regni principio.

XIX.

Cognomen superbi merendo.

XX.

Regem occisum sepulturâ probibendo.

XXI.

Primores Patrum interficiendo.

XXII.

Ad jus regni nihil præter vim habendo.

XXIII.

In charitate Civium nihil spei reponendo.

XXIV.

Metu regnum tutando.

XXV.

Cognitiones capitalium rerum sine consiliis exercendo.

XXVI.

Patrum numerum imminuendo.

XXVII.

Senatum non consulendo.

XXVIII.

Domesticis consiliis Rempub. administrando.

XXIX.

Infestos popularium animos in fabrorum ministeriis ac servili operâ habendo.

XXX.

Plebem in fossas, cloacasq; exhauriendas demergendo.

XXXI.

Otium conviviis, commessationibusq; terendo.

XXXII.

Lucretiam per vim stuprando.

XXXIII.

Brutum tribunum Celerum, & Lucretium in magistratu Rege domi relinquente.

XXXIV.

Tarquinio ex castris Romam ad comprimendos motus pergente.

In Po-